EXAMEN TRINUM

Ordinandorum Approbandorum & Inſtituendorum,

QUÆSTIONES PRACTICAS

Ferè ex Univerſa Theologia Morali Sele-ctiſſimas,

OMNIBUS

Tum Clericis ordinandis, tum Sacerdotibus Approbandis, tum ad Beneficia Curata Inſtituendis ſcitu omnino dignas, utiles, perquam neceſſarias.

UTPOTE

In omni Examine ad reſolvendum plerumque proponi ſolitas, brevi, & clara reſponſione explanatas.

CONTINENS

Adjectis nonnullis quibusdam S. Rit: Congr: Decretis, aliisq; Notandis ſcitu neceſſariis Ad Uſum Novellorum Sacerdotum, præſertim Alumnorum Seminarii Epiſcopalis Kielcenſis.

FUNDATIONIS SZANIAVIANÆ CONCINNATUM.

PER R. FRANCISCUM ERASMUM PREISS Sacerdotem Sæcularem in Communi Viventem, Eccl: Colleg: Kiel: Vicarium eiuſdemq; impenſis Typis impreſſum.

CRACOVIÆ

In Typog..a. Seminar: Epiſco: Academ: Diœceſani.

Pro Josaphat Erem: Camald: Mont: Corona

Quæ vera esse in scriptis meis perspexeris, tene, & Ecclesiæ Catholicæ tribue, quæ falsa respue, & mihi qui homo sum ignosce. S. Aug: de vera Relig: c. 10. T. 1..

Optimè compensatur, si arguitur imperitiæ scriptor, dummodo sapienter proficiat Lector. S. Petrus Dam: opusc: 27. c. 5.

D U O B U S

In Polo Poloniæ magnis Luminatibus;
PRINCIPALIBUS
Gentis Sarmaticæ Patronis;
Primariis ac maximis
Regiæ Civitatis Cracoviensis Regum Coronatricis
Tutoribus; ac Propugnaculis:
Divinissimo
STANISLAO
Martyri ac Episcopo Cracoviensi
Præsulum Gemmæ, Pastori Bono, ac Custodi
gregis Christi
Vigilantissimo
POLONORUM APOSTOLO
Seminarii Kielcensis Titulari
P A T R O N O
Ac Beatissimo
JOANNI CANTIO
Sacræ Theologiæ Doctori, atque in Alma ac Celeberrima Universitate Cracovien: Professori, vitæ
Sanctitate mirabili, magnæ erga egentes
Charitatis Patri,
Ac zelosissimo Verbi DEI Præconi, Scholarum
Kielcensium singulari
P R O T E C T O R I.
In Tesseram
Devotissimæ propensionis tenerrimi affectus; ac debitæ gratitudinis, pro multoties experta erga se
potenti protectione, & Patrocinio;
OFFERT ET DEDICAT
Devinctissimum
*Seminarium Kielcense Clericorum Sæcularium
in Communi Viventium.*

AD LECTOREM BENEVOLUM

IN gratiam novellorum Sacerdotum, non titillante alicuius laudis cupiditate pellectus, sed utilitati, ac commoditati eorum consulere cupiens, concinnavi hoc opusculum, in quod utilissimas & selectissimas quæstiones congessi, ad quod perficiendum, plusquam 19. Variorum AA. Volumina, non parva cum molestia perlustravi, ubi magis probatorum & gravium Theologorum sensum exploraui. Uti Bonac: Marchan: Lay: Gob:, Potestatis &c. &c. Secutus consilium S. August: svadentis & optantis l. 1. de Trinit: c. 3. *Qui cunque aliqua scribendi facultate prediti sunt, scribant omnes, licet eadem, aliis verbis forsan; scripturi, cum non omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniant.* Nec deterruit me a scribendo, quod alii longè melius similia, & copiosiùs etiam tractaverint: *Non enim omnia* (utor verbis B. Hildeberti in Epist: ad Henr: 1. Regem Angliæ) *contemnenda sunt quibus multa reperiuntur meliora, exaqua plures, quam ex mulso sitis ardorem extinxisse invenies.* Si diligenter legeris Benevole Lector, fiet ut uno hoc libello, ceu ferculo, enutritus, melius digeres doctrinam, quam in varietate dapum non nisi incoctam retinebis mente. In hoc enim parvo velut nucis putamine magnam vix non universæ Theologiæ moralis hic liber occulit Illiadem. Si qui autem fuerint (quod non est desperandum) lividorum oculi meminerint pueriliter infelicis maleque feriati ingenii esse, famám alienam, cum obscurare honestè non possint, per invidiam allatrare; verum non movebor, neque mirabor, qui, cum Salomone adverto omnes hominum labores patere invidiæ proximi. Cæterum ex hoc exiguo opusculo, quod excipere

hilari

hilari vultu, conſtanti percurrere ſtudio, tuoque probari fructu, ſummopere cupio, & exopto, ſi quid boni, ſi quid fructuoſi obvenerit, uni DEO bonorum omnium Largitori acceptum refer, reliquum tenuitati ingenii mei adſcribe. Fateor autem candidè nullam reſponſionem me hic inſeruiſſe quæ Authoritati aliquorum DD. non inniteretur.

Quæ omnia Judicio & Cenſuræ Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ Romano Catholicæ omni qua par eſt humilitate & reverentia ſubmitto.

APPROBATIO DIÆCESANA.

Opus quod inſcribitur: *Examen trinum Ordinandorum, approbandorum & inſtituendorum, quæſtiones practicas ferè ex univerſa Theologia Morali &c. continens*, labore A. R. Franciſci Eraſmi Preiſſ Sacerdotis ſæcularis in communi viventis, pro tunc Eccleſiæ Collegiatæ Kielcens: Vicarii collectum & concinnatum; cum nihil vel fidei orthodoxæ, vel moribus bonis adverſum in ſe habeat, imo tendentibus ad Sacerdotium, vel in illo Sacramentum Pænitentiæ adminiſtrantibus, vel ſe ad Beneficia curata diſponentibus, viam ſciendi facilem monſtrat & aperit; ideo do facultatem ut imprimatur. Crac. in Collegio Regio Iuridico. *die* 26. *Martij*. 1760.

M. STANISLAUS MAMCZYNSKI U. J. D. & Prof. Canon: Cathe: Cracovienſis Studii Univerſitátis Crac: Generalis Procancellarius & Rector, Judex Surrogatus.

mpp.

EXAMEN
Pro Minoribus Ordinibus
CAPUT I.
De Rudimentis Fidei.

Q. QUô fine Clericalem vivendi rationem vis assumere? *R.* Ut DEO fidelem cultum, atque gratissimum ei in procuranda proximorum salute obsequium diligenter præstem, hoc genus vivendi elegi.

Q. Num fortassis judicii sæcularis vitandi, vel honores aut proventus Ecclesiasticos obtinendi finem spectâsti? *R.* nullum vel turpem vel lucrosum specto finem, sed assumi in sortem Domini per opto, ut pro toto tempore vitæ meæ mancipatus sim Divino cultui.

Q. Ordinari desiderantem, quas qualitates habere oporteat? *R.* imprimis attendere debet num ullâ censurâ, irregularitate, aut alio simili impedimento sit obstrictus? num pravis aliquibus inclinationibus, aut vitiis, Clericalis vitæ sanctimoniæ è diametro repugnantibus, obnoxius sit? num literaturam sufficientem adeptus sit, aut saltem ad illam adipiscendam idoneus judicetur.

Q. Quid ſcire debeat ſuſcipere volens Primam Tonſuram & minores ordines? *R.* Pro 1ma Tonſura ſcire debet Rudimenta fidei, legere, ſcribere, requiritur inſuper etiam notitia eorum, quæ ad hoc munus pertinent.

Q. Quid intelligit per Rudimenta Fidei? *R.* intelligo principia, & fundamenta fidei, quæ omnes ſcire tenemur.

Q. Quotuplicia ſunt Rudimenta fidei? R. 2plicia. Alia neceſſaria neceſſitate *medii* quæ ſi homo ignorat, etiamſi invincibiliter, & inculpabiliter, nullo tamen modo ſalvari poteſt. Et talia ſunt: 1. quod *DEUS* ſit unus in tribus Perſonis. 2. quod ſit Creator omnium, Remunerator bonorum, & Vindex malorum 3. Quod Filius DEI ſit Incarnatus. 4. quod anima hominis ſit immortalis. 5. quod gratia DEI ſit neceſſaria ad ſalutem.

Alia neceſſaria neceſſitate *Præcepti*. Et illa ſunt: quæ quidem tenemur ſcire ſub obligatione gravi. Interim ſi quis invincibiliter ignoret, & explicitè non crederet poſſet tamen ſalvari. Et talia ſunt: Symbolum Apoſtolorum, Pater noſter, Ave Maria, Decem Præcepta Decalogi, 5. Præcepta Eccleſiæ & 7. Sacramenta.

Q. Quis dicenduas *Xtianus* atq; Catholicus? *R.* qui Baptiſmi Sacramento initiatus veram in Eccleſia DEI Doctrinam Xti profitetur.

Q. Heretici ſuntne Xtiani Catholici? *R.* ſunt Xtiani, ſi ſunt legitimè baptizati, non ſunt Catholici, quia adhærent ſectis & opinionibus ab Eccleſia Catholica alienis.

Q. Quid? & quare credere debemus? *R.* omne id quod Eccleſia ad credendum proponit. Et ideo quod DEUS ipſe ut potè infallibilis veritas revelavit.

Q. An

Q. An solum illa credere debemus, quæ sunt in Scriptura? *R.* non solum ista, sed etiam alia quæ sunt per Ecclesiam definita, vel per traditionem huc usque credita, & observata.

Q. Quid est Traditio? *R.* 1. Verbum DEI 2plex est: Scriptum & Traditum *Scriptum* est S. Scriptura. *Traditum* sunt traditiones seu instructiones à Xtō Dño datæ Apostolis, quæ per continuam successionem ad nos pervenerunt.

Q. An tenemur credere & servare Traditiones? *R.* omnino jubente S. Paulo 2. The: 2.

Q. Quis fructus seu effectus Traditionis? *R.* 1. Ostendit nobis qui sunt libri Canonici S. Scripturæ 2. Veram & sinceram eius interpretationem, seu in alias linguas transpositionem. 3. Veram ejusdem Explicationem.

De Symbolo.

Q. Quid est Symbolum? *R.* Est compendium Articulorum fidei Catholicæ.

Q. Quid est Articulus Fidei? *R.* Est veritas aliqua antiqua infallibilis à DEO reveláta. vel per Ecclesiam definita, quam credere omninò tenemur.

Q. Quot sunt Symbola? *R.* tria 1*mum* Symbolum Apostolorum 2*dum* Concilii Nicæni. 3*tium* S. Athanasii.

Q. Cur in Symbolo 1*mo* dicitur Credo? *R.* quia credere est 1*mus* actus Xtiani, & fundamentum nostræ salutis.

Q. Cur additur Patrem? *R.* Propter generationem æternam Unigeniti Filii sui 2. Propter creationem utpote quia principium & origo omnium & Prima in Trinitate Persona. 3. propter nos, quos, per Filium suum in Filios adoptavit.

De 2da Persona.

Q. Cur dicitur Filium eius unicum nunquid & nos Filii Dei sumus? *R.* Credimus Xtum esse naturalem Dei Filium, Quem Pater ab æterno genuit, & gignit, perfectum ex Se sine operibus Matris. Nos filii per adoptionem, & omnes justi regenerati lavacro Baptismi, Xti sangvine & passione redempti, omnes etiam homines per creationem sunt Filii DEI.

Q. Quid est Incarnatio? *R.* est assumptio naturæ humanæ à verbo Divino facta in unitatem Personæ.

Q. Cùm Xtus Dñus conceptus sit de Spiritu S, an Spiritus S. sit Pater Xti? *R.* quod dicatur conceptus de Spiritu S. intelligi debet, quod ex opere Spiritus S. non vero ex natura ejus, & hinc non potest dici Pater ejus, quamvis de ipso conceptus dicatur. Ille enim est Pater, qui de substantia sua Filium generet, qui autem opus aliquod non de sua substantia, sed aliunde producit, non est *Pater.*

Q. Cur non 1*ma* Persona, nec 3*tia* est incarnata sed 2*da*? *R.* quia convenientius erat 2*dæ* Personæ incarnari, quam 1*mæ*, & 3*tiæ*. Convenientiæ autem assignantur hæ: quia major est affinitas hominis cum Verbo, quam cũ Patre & Spiritu S. sicut enim Verbum est imago Patris, ita homo est imago Dei, adeoque convenientius erat similem simili uniri. 2*da* quia sicut homo creatus per verbum Dei, ita decebat eum redimi per idem verbum, quia per eandem Ideam opus lapsum artifex reparat, per quam illud pro duxit. 3*tia* ut idem sit Filius hominis, qui fuit Dei Filius ab æterno. 4*ta* ut Filius Dei adoptivus, id est homo, redimeretur per Filium Dei natum. 5*ta* Ut Mediator inter Deum & hominem non sit alia Persona, nisi media.

Q. An

Q. An Xtũs solum Corpus humanum assumpsit an verò totum hominem? *R.* totum hominem: id est Corpus, & animam unitam corpori, aliàs non assumpsisset naturam humanam, si solum corpus assumpsisset. Fusius hoc in symbulo S. Athanasii.

Q. Quot sunt Personæ in Xto? *R.* Una tantùm Personá Divina, nam licèt Deus assumpsit hominem, non tamen Personalitatem hominis, quia Personalitas juxta Metaphysicam est complementum naturæ, consequenter quid distinctum à natura, quod complementum hominis supplevit Personalitas Divina.

Q. Quot sunt intellectus, & voluntates in Xto? *R.* duo sunt intellectus in Christo, creatus & increatus seu Divinus. Voluntates etiam duæ: creata & increata seu Divina, quia sunt duæ naturæ, consequenter duoquoq; intellectus, duæ voluntates à Conciliis & SS. PP. assignantur in Christo.

Q. Quid significat nomen Xtũs, & nomen Jesus? *R.* Xtũs idem significat quod unctus. Jesus idem quod *S*alvátor.

Q. In quo comsistebat mors Xti.? *R.* in separatione animæ a corpore.

Q. Ad quos Inferos Xtus descendit? *R.* Non ad locum damnatorum, sed ad Lymbum, in quo animæ suspirabant Salvatorem.

Q. Cur dicitur in plurali descendit ad inferos? *R.* quia etiam ad purgatorium descendit, indeq; multas animas liberavit.

Q. Cur dicitur sedere ad dexteram Patris? *R.* quia supremam in Cælis gloriam consecutus est.

Q. Xtus estnè ubiq;? *R.* Xtus duo significat Deum & hominem, ideoq; Xtus ut est Deus, est ubiq; ut verò Homo non est ubiq; sed tantum in Cælo, & in Eucharistia per replicationem. *Replicatio* est existentia unius Corporis simul in 2bus, vel pluribus locis supernaturaliter.

Q. Qua-

Q. Quales vivos & mortuos judicaturus est? R. scilicet Electos & reprobos.

De Ecclesia.

Q. Quid est Ecclesia? R. Est omnium Fidelium eandem doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno Capite, id est Xti Vicario in terris, scilicet Papa gubernatur.

Q. Quotuplex est Ecclesia? R. 3plex 1. *Triumphans* quæ est omnium Cælestium Spirituum, & Sanctorum Dei in Cælis. 2. *Militans* quæ est omnium Fidelium in terris adhuc degentium. 3. *Intermedia* seu purgans animarum scil: in purgatorio existentium.

Q. An inter istas tres Ecclesias datur Communicatio? R. Affir: quæ consistit in mutuo auxilio, *Militans* enim recurrit ad Triumphantem, ideo fideles in terris existentes petunt Intercessionem à Sanctis ad Deum Sancti etiam juvant nos & orant pro necessitatibus nostris. *Purgans* recurrit ad Militantem quæ per pia suffragia succurrit animabus, & sic est Sanctorum Communio, & mutua amicitia harum ternarum Ecclesiarum.

Q. Poteſtne errare Ecclesia in rebus fidei? R. Neg: quia est columna & firmamentum veritatis, cui Xtus infallibilem assistentiam Spiritus S. promisit, cum qua etiam vult manere usque ad consummationem sæculi.

Q. Quotuplex est Caput Ecclesiæ militantis? R. 2plex *Invisibile* scil: Xtus. *Visibile* est summus Romanus Pontifex Xti Vicarius, & Successor S. Petri.

Q. Poteſtne Caput visibile errare? R. Pontifex consideratus ut privatus Doctor, potest in privatis dogmatibus, & sententiis errare. Consideratus vero

ut

ut eſt Vicarius Xti, & ut Judex controverſiarum, id eſt quando aliquid decidit in materia Fidei, aut morum, non poteſt tunc errare, quia tunc habet aſſiſtentiam Spiritûs S. & taliter decidens dicitur decidere ex Cathedra S. Petri.

Q. Unde cognoſcis Eccleſiam eſſe veram? *R.* ex 5. notis, quod ſit una, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Romana.

Q. Quomodo Eccleſia eſt una? *R.* Unitate Fidei, & Doctrinæ.

Q. Cur dicitur Sancta? *R.* quia in ea ſunt Sanctificationis media, uti Baptiſmus & alia Sacramenta. 2. quia leges habet Sanctiſſimas, conſilia optima, & quia extra eam non poteſt vera Sanctitas reperiri.

Q. Cur dicitur Catholica? *R.* quia ad omnes mundi partes extendit ſe, & ad omne tempus à temporibus Xti, proindeque eſt Univerſalis.

Q. Cur dicitur Apoſtolica? *R.* quia ab Apoſtolis fundata, & doctrinâ & ſangvine. 2*do* quia retinet ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis.

Q. Cur dicitur Romana? *R.* quia Romana Mater eſt omnium Eccleſiarium, cui Xtũs primatum dedit.

Q. Quid eſt Communio Sanctorum? *R.* quod Sancti & juſti inter ſe communicationem ſpecialem habent, tanquam membra unius corporis. Item quod ſit in Eccleſia Dei communio rerum Sanctarum

Q. Quæ ſunt illæ res Sanctæ, in quibus communicamus? *R.* Sangvis Redemptionis, Sacramenta, Dona gratiæ, verbum Dei. Item opera bona, cum enim ſimus membra eiusdem corporis, dum quis orat, aut jejunat, non ſolum ſibi, ſed omnibus orat, jejunat.

Q. Ha-

Q. Habentne mali etiam fructum in hac communione Sanctorum? *R.* Habent. Tum quia boni suis precibûs sæpê illis impetrant gratiam. Tum quia propter Societatem cum bonis sæpe evadunt afflictiones, & vindictam Dei.

De Carnis Resurrectione.

Q. An in eadem numerò Carne resurgemus? *R.* Affir: in eadem numerò carne, quoad materiam; non tamen in eadem, quoad formam; quia mutabitur forma corporis moderni; dicit enim Apostolus: *Reformabit Deus idem Corpus humanitatis nostræ* habebit qualitates Spirituales, & dotes glorificationis suæ.

Q. *In* qua ætate resurgemus? *R. In* ætate perfecta, in qua Xtus resurrexit ideoq; infantes, senes claudi, cæci, surdi &c. non ut tales, sed in tali vigore qualem circa 33. annum habuerint, vel habituri fuissent, 2dum debitum temperamentum.

Q. Infantes sine Baptismo decedentes, quas pænas in Lymbo patiuntur; & an ibi sint dæmones. *R.* Pænam damni patiuntur, dæmones ibi non sunt, qui sunt instrumenta ad pænam sensûs; quæ ibi non est. Henr: de Assia.

Q. Quid est pæna damni, quid pæna sensûs? *R.* Pæna damni est carentia visionis DEI. Pæna sensûs est, quæ præter carentiam visionis DEI animabus infligitur per tormenta sensibilia, uti fit in inferno.

De Oratione Dominica.

Q. Quid est oratio? *R.* Est mentis in DEUM elevatio per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliisq; petimus, vel *DEO* benedicimus.

Q. Quæ conditiones requiruntur ad bonam orationem? *R.* 4. Puritas conſcientiæ. Fiducia in DEUM. Reſignatio in DEI voluntatem, & Perſeverantia.

Q. Quæ eſt perfectiſſima oratio? *R.* eſt oratio Dominica quia illam Dominus JESUS Sapientia Patris compoſuit, ac nobis præſcripſit, in qua paucis verbis omnia precanda complexus eſt.

Q. Quare voluit eſſe adeo brevem? *R.* Ut nemo quamlibet Rudis excuſaretur ab ea memoriter tenenda.

Q. Quot partes ſunt orationis? *R.* 7. quarum 3. concernunt DEUM, & gloriam ejus. 4*tuor* concernunt nos, & noſtrum commodum. Harum partium ſenſus clarus eſt.

Q. Quid ſibi vult 6. petitio? R. cum poſt peccatum nullum ſit gravius malum, quam periculum peccandi, quod nobis à tentationibus impendet, imploramus hac petitione DEI auxilium reſiſtendi tentationibus, ne iiſdem fracti, peccatis conſentiamus.

De Salutatione Angelica

Q. Quæ oratio Beatiſſimæ Virgini eſt gratiſſima? R. Salutatio Angelica, quia eâdem à SSma Trinitate honorata, & ſalutata fuit, adeoq; gratiſſimum ei obſequium præſtatur, dum ſæpius hæc pro affectu recitatur.

Q. Quot habet partes ſalutatio Angelica? R. Tres 1. *Ave gratia plena Dnus* tecum ab Angelo pronuntiata. 2. *Benedictatu tu &c.* ab Eliſabeth Spiritu S. repleta, dicta. 3. *Ora pro nobis &c.* addita eſt ab Eccleſia.

CAPUT II.

De Præceptis Decalogi.

Q. Quid nomine Decalogi intelligitur? *R.* Significatur lex Divina positiva 10. Præcepta complectens. quorum tria priora DEUM spectant, 7tem vero posteriora proximum respiciunt.

Q. An Præcepta DEI observari possint, deturq; gratia à DEO sufficiens ad illa observanda? *R.* affir: nam omnia possumus in eo qui nos confortat.

Q. Si Præcepta DEI non sunt ad observandum gravia, cur S. Paulus Act: 15. vocat Iugum? *R.* S. Paulus loquitur de præcepto Circumcisionis, non vero de præceptis Divinis, de quibus Xtus pronuntiat: *Jugum meum svave &c.*

Q. Quotuplicia sunt Præcepta Decalogi? *R.* 2plicia: *Affirmativa* quæ bonum præcipiunt. Et *negativa* quæ malum prohibent.

Q. Quæ est differentia inter affirmativa & negativa præcepta? *R.* quia negativa obligant semper & pro semper nam nullus est casus in quo liceret duos DEOS colere, propria Authoritate occidere. Affirmativa vero obligant semper sed non pro semper.

Q. An Præcepta Decalogi sunt juris naturalis? *R.* sunt omnia præter 3tium.

Q. Quis Author præceptorum Decalogi? *R.* DEUS ut supremus Dñus, statim post creationem 1mi hominis naturæ humanæ ea indidit, & cordibus impressit, quæ postquam pravis moribus, & diuturna perversitate obscurata, & non servata fuerunt. per Moysen in monte Sinai, in 2bus Tabulis lapideis scripto tradidit.

Q. Quo-

Q. Quomodo peccatur in Præcepta Decalogi? R. in omnia peccatur mortaliter, nisi parvitas materiæ, aut non plena advertentia fuerit.

De Lege.

Q. Estnè idem lex, quod præceptum? *R.* sæpè pro eodem sumitur, hæc tamen est differentia, quod Lex toti Communitati, præcepta verò particularibus Personis dantur. 2. Lex non expirat morte Legislatoris, secus præceptum.

Q. Quid est Lex? Est voluntas ejus, qui præest populo debitè promulgata cum intentione obligandi subditos.

Q. Quotuplex est Lex? *R.* 2plex Divina, & humana Lex *Divina* iterum 2plex est naturalis & positiva.

Lex Divina naturalis est naturale dictamen rationis, quo per lumen rationis nobis impressum, naturaliter cognoscimus evidenter recta, & facienda; turpia autem vitanda.

Lex Divina positiva Est decretum Dei hominibus præscribens modum necessarium, ut aptè pervenire possint ad Beatitudinem supernaturalem.

Lex Humana Est rectum rationis decretum ab habente publicam Authoritatem latum præscribens aliquid à subditis servandum, legique naturali conveniens.

Q. Quotuplex est lex humana? *R.* 2plex alia *Canonica* seu *Ecclesiastica* quæ fertur ab Ecclesiastica potestate, uti Pontificibus, Conciliis tam privatis, quam generalibus. Alia est *Civil s* quæ fertur à potestate Civili. Alia *Gentium* quæ fermè ab omnibus gentibus acceptatur & observatur. Lex *Ecclesiastica* alia est *moralis* quæ conscientiam obligat.

obligat. Alia *pænalis* quæ ſub pænis Cenſurarum fertur.

Q. Ut lex aliquem obliget quæ conditiones requiruntur? *R.* 1. Ut ſit à ſuperiore lata. 2. juſta, 3. ob bonum publicum 4. debitè promulgata.

Q. An Clerici teneantur ſervare leges civiles? *R.* tenentur ſervare leges civiles, quæ non ſunt contrariæ Juri Canonico, nam Jus Canonicum eſt correctivum juris civilis, in quo adverſatur.

Q. An lex poſitiva humana tam Eccleſiaſtica, quam ſæcularis obliget in conſcientia? R. Obligat affirmante S. Paulo ad Rom: 13

Q. Qua ratione eximitur aliquis à lege? R. 1. Per abrogationem aut diſpenſationem factam à Legislatore, vel ejus Succeſſore. Inferior enim non poteſt abrogare legem ſuperioris, nec diſpenſare, niſi delegatione ſuperioris, 2. Per privilegium, ſi quis ex intentione Legislatoris in lege, non fuerit incluſus. 3. Per conſvetudinem contrariam. 4. ſi ceſſet finis adæquatus legis, minimè autem ſi partialis. 5. Per Epikiiam ſeu interpretationem legis.

Q. Quid eſt Epikiia R. Eſt actus prudentiæ, quo ex æquo & bono judicatur, quod verba legis quamvis clara ſint, tamen hic & nunc in caſu non ſunt ſervanda.

Q. An Epikiia habet locum in lege Divina & naturali? *R.* neg: niſi tantum improprie & quoad nos, quia licet ſæpè verba clara legis Divinæ videantur comprehendere etiam hunc caſum, tamen aliundè reſcimus Deum ab initio non voluiſſe illum comprehendere, & ita dicunt Bardi: & Schild: de Conſecra: T. 2. n. 59. & 61. Deum quandoque ſub lege ſua noluiſſe comprehendere caſus valdè arduos *vg.* licet poſuerit claram legem

gem de confitendis mortalibus, tamen per quandam Epikiiam judicamus posse nos aliqua omittere, ad evitandum grave damnum spirituale, aut temporale nostrum vel proximi.

In lege humana Epikiia locum habet, non tamen si Legislator interrogari potest.

De 1mo Præcepto.

Q. Quid prohibetur 1mo Præcepto? *R.* Omnis idololatria, superstitio, Divinatio &c.

Q. Quid verò nobis præcipitur? *R.* verus erga Deum honor et amor, quod adimpletur maximè per actus virtutum Theologicarum, & per virtutem Religionis.

Q. Quid est superstitio? *R.* Est falsa religio, seu cultus vitiosus veri vel falsi numinis.

Q. Quot modis potest fieri superstitio? *R.* 1. *Per sola Sacra*, ut si adhibeam verba sacra, vel orationes certas cum certis circumstantiis ad obtinendam *vg.* sanitatem, vel grave quid mihi utile. 2. *Per sola non sacra*, quando adhibeo non sacra, cum certa tamen omnino circumstantia vel tempore. *vg.* iter agere die Jovis, vel omittere die Mercurii. 3. *Per Sacra simul, & non Sacra* ut si cum rebus Sacris adhibeam res naturales, inutiles, irreverentes, verba profana, & è contra.

Q. Quot sunt species superstitionis? R. Multæ: utì Divinatio, vana observantia, Magia, Idololatria, tentatio Dei, maleficium &c.

Q. Quid est Divinatio? *R.* Est inordinata rerum occultarum vel futurarum, quæ naturaliter sciri nequeunt inquisitio vel prædictio per media à Divina Providentia non constituta. In Divinatione semper intervenit pactum expressum vel implicitum cum Dæmone.

Plures sunt Divinationis species.

1. *Necromantia* Eſt Divinatio facta per fictas mortuorum ſuſcitationes, vel locutiones.

2. *Geomantia* fit per ſigna & puncta in corpore terreſtri, ut in lapide, ligno, charta. &c.

3. *Hydromantia* fit per ſigna apparentia in àére.

4. *Pyromantia* fit per ſigna apparentia in igne.

5. *Chyromantia*. lineas manûs conſiderat.

6. *Præſtigium*, fit cum Dæmon quibusdam apparitionibus præſtigioſis ſe oculis, aut ſenſibus hominum ingerit, ad occulta pronuntianda.

7. *Aſtrologia judiciaria* Eſt Divinatio quæ fit ex ſitu, motu, ac poſitione aſtrorum & planetarum ad præcognoſcenda in particulari eventura, quæ ex libera hominis voluntate pendent.

8. *Augurium* Eſt Divinatio ex vocibus & garritu avium, & animalium deſumpta.

9. Omnen Eſt divinatio ex hominum vocibus caſu & præter in tentionem prolatis, accepta.

10. *Sortilegium* Eſt divinatio facta per jactionem ſortium.

Q. Quotuplices ſunt ſortes? *R.* Multiplices *Conſultoriæ* quando taxilli projiciuntur, inquirendo, quid in hac re agendum. *Diviſoriæ* ſunt quando ad determinandum in participatione alicujus rei projiciuntur. *Divinatoriæ* quando mittuntur ad futurum aliquid agendum. *Conſultoriæ* aliquando licitæ ſunt, quando neceſſitas exigit, dummodo ſint cum invocatione Spiritus S. & deciſio ſpectetur à Deo. *Diviſortæ* etiam ſunt licitæ 1. dummodo non fiant contra bonum publicum. 2. ut non fiant contra juſtitiam. 3. ut non fiant de bonis Eccleſiaſticis. *Divinatoriæ* autem ſemper ſunt illicittæ, quia videntur includere pactum cum Dæmone ſaltem implicitum, nullã enim connexionem habent ſortes eum re occulta futura.

Notan-

Notandum non prohibetur Aſtrologia judicans, temporum mutationem, ubertatem, ſterilitatē &c. & ex aſtrorum influxu in nativitate hominis ejuſdem inclinationes naturales, temperamentum, ea quæ ad ſanitatem pertinent judicans, & actiones in genere, quia hæc naturaliter ex aſtris poſſunt cognoſci.

Prohibetur ſolum Aſtrologia judicans actiones in particulari à libero arbitrio pendentes.

Q. Quid eſt Idololatria? *R.* Eſt, quando Cultus Deo debitus creaturæ tanquā Deo tribuitur.

Q. Quotuplex eſt Idololatria? *R.* 2plex *Materialis* ſive ſimulata, cum quis ſine interno affectu ex metu mortis cultum Divinum idolo exhibet. *Alia formalis* ac propria cum quis adorat idolum, quod ex infidelitate putat eſſe Deum, utraquè tamen eſt peccatum mortale.

Q. Quid eſt vana obſervantia? *R.* Eſt quando medio aliquo improportionato, & à Deo non inſtituto, procuratur aliquis effectus *vg.* ſanitas, ſcientia. Et dupliciter fieri poteſt, cum pacto implicito, vel explicito Dæmonis. Differt autem à Divinatione, quia hæc ordinatur ad occultorum cognitionem, illa verò ad externum effectum.

Q. Unde præſumi poteſt tacitam eſſe Dæmonis invocationem? *R.* 1. quando adſunt verba non ſignificativa. 2. Figuræ inutiles. 3. Nomina ignota Angelorum. 4. Falſitates ſive phyſicæ, ſive morales. 5. conditiones vanæ. 6. Promiſſio effectùs infallibilis ſupra vires mediorum.

Q. Unde poteſt cognoſci vana obſervantia? R. Ex inſufficientia cauſæ adhibitæ ad effectum, ſi nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de ſupernaturali conſtet.

 2. Et

2. Ex adjunctione falsæ vel vanæ circumstantiæ, ut *vg.* si fieri debeat lotio certâ horâ, certo loco, *vel* die, si adhibeantur ignota, falsa, & apocripha verba, Characteres peregrini. 3. Si effectus statim evanescat.

Q. Quid est maleficium? *R.* Est vis nocendi alicui ex pacto, & cooperatione dæmonis. Differt à magia, quod hæc intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendum.

Q. Quid est tentatio Dei? *R.* Est dictum vel factum quô quis explorat, num Deus aliquam perfectionem habeat?

Est duplex, *Formalis* est, quando adest expressa dubietas de aliqua perfectione, ut si quis det se præcipitem è turri, ad experiendum num Deus sit omnipotens, eum à læsione liberando, de quo dubitat, & hæc est mortalis, quia est gravis irreverentia.

Implicita & interpretativa alia, & est illa, cui præfata dubitatio deest, & tunc habetur, quando quis licèt non intendat Deum tentare, petit tamen vel agit, quod suâptè naturâ eò referri videtur, ut si quis in gravi morbo media naturalia omittat, nempè medicinam, spernens, aut petens à solo Deo effectum. Hæc ut plurimum est venialis ob imperfectionem actûs, ignorantiam, inconsiderationem, aut parvitatem periculi.

De Sacrilegio.

Q. Quid est Sacrilegium? *R.* Est læsio aut violatio rei Sacræ, id est dicatæ cultui Divino. Est ex genere suo peccatum mortale.

Q. Quotuplex est Sacrilegium? *R.* Triplex *Personale* quô persona violatur, Potest autem violari

olari tribus modis. 1. Per violentam manûs injectionem. 2. per usurpatam jurisdictionem, Personas Ecclesiasticas ad judicium sæculare trahendo. 3. per actionem veneream.

2*do* Aliud *Reale* quando res violatur.

3*tio* *Locale* quando locus violatur. Violari autem potest. 1. per strepitum forensem, ut si quis negotiationes, seditiones, stabulationes equorum, mercaturam, aut similia facit in locis sacris. 2. læditur per furtum, 3*bus* modis.

1*mo* Si quis furatur Sacrum de Sacro hoc est vg. Calicem in loco sacro.

2*do* Sacrum de non Sacro vg. rem sacram extra Ecclesiam conservatam.

3*tio* Non sacrum de sacro vg, pecuniam aut aliam rem quæ sit Ecclesiæ aut ejus custodiæ tradita, deposita aut ei accommodata *Felix Bon.*

Tertio Per actus repugnantes ejus immunitati violatur.

Quarto Violatur per pollutionem. Polluitur autem Ecclesia per injuriosam exustionem *ex Conc Nic:* 2. Per sepulturam excommunicati vitandi, aut infidelis, etiam infantis, minime si sit Filius Parentis fidelis, licèt decesserit sine Baptismo, quia est pars hominis Christiani, consvetudo tamen est ut non sepeliatur in loco sacro. 3*tio* Per homicidium injuriosum, aut mutilationem, etiam per injuriosam suffocationem, etsi fiat sine sangvinis effusione. Non polluitur autem per homicidium casu, aut in defensionem factum quia non est culpabile, nec injurosum. 4*to* Per copulam illicitam, aut humani seminis effusionem, quæ sit peccatum mortale, licèt non cadat in terram, dummodo sit externa, & notoria. 5*to* Si quis aliam insubita & inordinata rixa in Eccle-

sia occidit, violatur Ecclesia, quia ex hoc, quod occisio fuerit subita, & causalis, non sequitur, quin fuerit voluntaria, & inde injuriosa, ut potuerit ab occisione impediri. Pollutio Ecclesiæ si sit occulta non indiget reconciliatione.

Q. Quis Ecclesiam pollutam reconciliare potest? *R.* Si sit tantùm benedicta potest simplex Sacerdos aquâ à se benedicta, utendo formulâ Ritualis. Si autem sit consecrata, tunc est ab Episcopo reconcilianda aquâ per ipsum cum sale vinô & cinere benedictâ, qui non potest eam facultatem delegare simplici Sacerdoti.

Q. Qui celebrat in Ecclesia polluta quam pænam incurrit? *R.* præter peccatum mortale, nullam aliam.

Q. Pollutâ Ecclesiâ, polluiturne cæmeterium? *R.* Affir: sed non è contra, quia magis principale trahit ad se minus principale.

Q. Si quis cæpit dicere Missam & Ecclesia polluatur debetne eam relinquere? *R.* Si perveniat ad Canonem debet eam finire propter reverentiam tanti ministerii, si verò non pervenit, debet eam relinquere, & in alio loco eam incipere. *Anchar.*

Q. Si Ecclesia sit violata per sepulturám Excommunicati, quid agendum? *R.* Exhumandum est corpus, & alibi sepeliendum; si discerni non possit, relinquendum est, sed locus reconciliandus est.

Q. Quam pænam incurrit scienter & temerè Excommunicatum sepeliens in loco Sacro? *R* Excommunicationem Papæ reservatam ipso facto.

De Immunitate Ecclesiastica.

Q. Quid est Immunitas? R. Est quasi sine muneribus data libertas *Angel:*

Q. Quotuplex est Immunitas? R. Triplex *Localis* quæ Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis competit. *Realis* quæ rebus, seu bonis ad Ecclesiam aut Clericos pertinentibus *Et Personalis* quæ ipsis Personis Ecclesiasticis competit.

Q. Immunitas localis quot jura continet? R. duo: 1*mum* Est jus immunitatis ab actionibus profanis, & sæcularibus Loci sanctitati repugnantibus, quod est, non solum de Jure Canonico, & Civili, sed etiam Divino.

2*dum* Est jus Asyli, & refugii, quo gaudent loca Sacra, ut rei ad ea confugientes, non possint per vim extrahi.

Q. Immanitas Asyli, & refugii in Ecclesia, cujus est juris? R. Humani Canonici & Civilis. Sermo hic est de Immunitate Ecclesiastica & Canonica, & minimè de Politica, & Civili, quâ gaudent Palatia Principum juxta consvetudinem Regionum.

Q. Quæ loca gaudent Immunitate? R. Ecclesia etiam si interdicta sit, Cæmeteria, Monasteria, & horum Campanilia, Horti, Infirmaria, Portæ, scalæ, & similia loca locis sacris contigua. Item Palatia Cardinalium, Episcoporum. De jure communi Ecclesia matrix per quadraginta passus in circuitu, & aliæ Ecclesiæ per triginta gaudebant immunitate, sed jam hoc consvetudine derogatum est. Item gaudent Oratoria publica Authoritate Episcopi erecta, non verò privata in domibus Nobilium; gaudent Seminaria Clericorum *Felix &c.*

Item

Item gaudet immunitate, qui ad Sacerdotem SS. Eucharistiam ad infirmum deferentem confugit, si iis se associat, qui commitantur tunc Sanctissimum, qui cubiculum infirmi, cum Sanctissimum est, intrant. Gaudent probabilius confugientes ad Ecclesiam Judæi, Pagani, Excommunicati *Sylv.* lib. C. 3. *quæst.*

Q. Qui non gaudent immunitate etiamsi confugiant ad loca sacra? *R.* 1. Publici latrones, viarumquè grassatores. 2*do* depopulatores agrorum, seu incendiarii segetum, ac frugum agrorum. 3*tio* Homicidæ, & mutilatores in Ecclesia, aut ejus cæmeterio, requiritur autem effectus puta mors, vel abscissio membri, non suffragatur si sit ex subita rixá, quia in Bulla non fit hæc exceptio. *Tan:* contra *Dian:* non gaudet qui existeret extra Ecclesiam, & existentem intra Ecclesiam occidit, vel è contra.

4. Non gaudent, qui proditoriè proximum etiam infidelem occidunt. Proditor propriè est, qui alium occídit simulatâ amicitiâ per insidias, nullo præcedente rancore aut inimicitiâ, quam occisus præcavere poterat.

5. Assassinꝰ. qui aliquem pecuniâ aut alio pretio æstimabili conducit ad alium occidendum; & qui sic conductus, alium incautum occidit; Unde ambo dicuntur Assassini.

6. Hæreticus, propter hæresim capiendus, secus si ob aliud delictum quærat Asylum.

7. Reus læsæ majestatis, nomine majestatis veniunt Reges & Principes. Item non gaudet mater occidens Filium infantem, neque qui alium occidit veneno congre. Conc: 163. c. 3. Dec: Hi omnes si confugierint ad Ecclesiam extrahi non debent, sine expressa Episcopi licentia. Greg: XIV. Anno 1591.

Effectus

Effectus Immunitatis.

Q. Quot sunt Effectus immunitatis refugii. R. 5 *que* 1. ut qui in Ecclesiam confugit, non possit ex ea vi, dolo, aut malâ arte extrahi: & sic extractus restitui debeat Ecclesiæ. Insuper sic extrahentes ad omne interesse, & damnum illatū tenentur. 2. ut reus dum est in Ecclesia, non possit vinculis constringi, aut aliâ violentiâ affligi *ex Cap. definivit*, 3. ut dum est in Ecclesia, non possit contra eum ferri sententia mortis, aut alterius pænæ corporalis, uti exilii &c. *Cap. inter-alia.* 4. ut reo in Ecclesia existenti negari non possit necessarius victus, & vestitus, aut impediri, nè ad illum deferatur. *Cap. præsent. 6.* 5. ut non possit spoliari rebus, & bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam attulit, possunt autem ab eo auferri arma à lege prohibita & *Cit: C. definivit. Alarius &c.*

Q. Quam pænam incurrunt vi vel dolo reum extrahentes? R. ultra culpam sacrilegii, incurrunt Excommunicationem latæ sententiæ, pecunia mulctari debent, & publicâ pænitentiâ affligi, nec absolvi debent donec restituant extractum. *Sylv: quæst* 3.

De Fide.

Q. Estne satis Deum adorare. R. nequaquā sed per fidem spem & charitatem in eum tendere oportet.

Q. Quid est Fides? R. est donum Dei, quô illustratus homo firmiter assentitur iis omnibus, quæ Deus revelavit & per Ecclesiam credenda proposuit.

Quot

Q. Quotuplex eſt fides? *R.* Duplex *Divina*, cui convenit data definitio. Et *Humana* quando aliquid creditur propter humanam Authoritatem. Alia eſt *Actualis* quando actu aliquid credimus propter revelationem Dei. Alia *Habitualis* & eſt qualitas infuſa à Deo, permanens, & movens hominem ad eliciendos actus fidei. Alia *explicita* quando expreſſe & in particulari aliquid credimus. Et *implicita* quando aliquid credimus in communi *vg.* omnia ea quæ Deus revelavit, & Eccleſia credit. Alia *formata* quæ eſt juncta cum bonis operibus, ê contra, informis.

Q. Quotuplex eſt actus fidei? *R.* Internus & externus.

Q. Eſtne Præceptum fidem confiteri externè? *R.* præceptum externæ confeſſionis fidei duplex eſt. *Negativum* & hoc obligat ſemper pro ſemper, ita; ut per nullum ſignum externum liceat aliqvando negare fidem, nec obſtante quod interius ſervetur, etiamſi urgeat periculum vitæ. *2dum* eſt *affirmativum* & hoc non obligat pro ſemper, ſed pro loco, tempore &c. *vg.* ſi periclitetur honor Dei, vel utilitas ſpiritualis proximi, tunc tenemur fidem profiteri, etiam cum periculo vitæ.

Q. Quale eſt præceptum de elicienda fide? *R.* eſt præceptum Divinum obligans ſub amiſſione ſalutis. Hoc præceptum obligat quemlibet poſt acquiſitum uſum rationis ſæpiùs eliciendi actus fidei, ſpei, & Charitatis, maximè tamen dum tentamur de fide, in Articulo mortis, probabiliter etiam accedendo ad Sacramentum Pænitentiæ, & ſaltem ſemel in Anno.

Q. Quæ ſunt proprietates fidei Divinæ? *R.* 3. *1ma Eſt obſcuritas*, fides enim debet eſſe ob-

ſcura, aliàs non differret à ſcientia, & ſic 1. tolleretur libertas fidei, nam quæ ſunt evidentia, & ſcientifica, illis neceſſariè aſſentimur, non liberè. 2. tolleretur meritum, nam fides non habet meritum, ibi, ubi humana ratio præbet experimentum S. Greg.

2*da* proprietas *Eſt certitudo*, fides enim Divina licèt ſit obſcura, tamen ob Authoritatem Dei, eſt certa, adeoq; ſecurè poſſumus, & debemus adhærere per conſenſum objecto revelato.

3*tia* Eſt *Veritas*, falſitatem enim fides admittere non poteſt.

Q. Quæ ſunt motiva ad credendum aliquid R. quæ ſunt revelata à Deo 1. Sacra Scriptura. 2. Miracula quibus fides roboratur. 3. Eccleſiæ Authoritas & SS. Patrum. 4. Unanimis conſenſus fidelium. 5. Magnum temporis intervallum, quo interruptè ſemper aliquid credebatur, & creditur hucusque 6. ſi non eſt contra ſanctitatem, contra pietatem, contra bonos mores. Hæc ſigna revelantis Dei vocantur motiva credibilitatis.

Q. Quod Vitium opponitur fidei. R. infidelitas. Quæ eſt error intellectûs pertinax in eo, qui nondum fidem ſuſcepit.

Q. Quotuplex eſt infidelitas? R. duplex 1*ma* *negativa* quæ eſt ignorantia inculpabilis fidei, hæc datur in illis, qui nunquam audiverunt de fide, quæ non tam eſt peccatum, quam pæna peccati, quia ſi feciſſent, quod in illis erat, Deus illis fidem non abſcondiſſet, ſcilicet ſi proceſſiſſent juxta dictamen rationis propriæ. 2*da* *Privativa* quæ eſt ignorantia culpabilis fidei, hæc datur in illis, qui nolunt ſponte de Fide audire, & cognoſcere veritatem ejus. 3*tia* *Contraria* Ta-

lis

lis pertinacia datur in illis, qui sufficientissimè sibi habent propositam fidem, tamen per malitiam contemnunt, & nolunt amplecti. hæc trina infidelitas datur in Paganis Judæis Hæreticis & Apostatis.

De Hæresi.

Q. Quid est Hæresis? *R.* est error intellectûs pertinax hominis Xtiani, contrarius fidei Catholicæ.

Q. Unde dicitur Hæresis. *R.* ab electione erroris, vel ab erro, vel adhæreo, quia errant, & adhærent opinioni hæreticorum.

Q. Quid est Error? *R.* Est existimatio veri pro falso, vel falsi pro vero.

Q. An omnis qui errat in fide, est hæreticus. *R.* non, si se putat non-errare, & paratus est se corrigere.

Q. Homo non baptizatus potestne esse hæreticus. *R.* non quia talis propriè dicitur infidelis, cuia ad hoc, ut quis sit extra Ecclesiam & sit hæreticus, necesse est, ut aliquando fuerit per Baptismum intra Ecclesiam.

Q. Quotuplex est hæresis. *R.* *formalis* quæ immediatè definita est. Et *materialis* quæ est error hominis baptizati contra aliquos fidei Articulos non voluntarius, & sine pertinacia. Tales sunt hæretici simplices homines in partibus ubi Hæretici inveniuntur viventes, qui non prositentur aliquos articulos fidei, sed hoc faciunt ex ignorantia, & simplicitate in qua nati, educati, & edocti sunt.

Q. Quis potest absolvere ab Hæresi. *R.* â Materiali omnis approbatus Sacerdos, à formali

occulta

occulta Epiſcopus. à Publica Pontifex, vel alius ab eo Delegatus.

Q. Qui inſordeſcit in Excommunicatione quando dicetur Hæreticus vel ſuſpectus in fide. *R.* quando per annum integrum petere abſolutionē non currat. Conc: Trid. Seſſ. 14.

Q. Hæreticus mortuus immediatè ante mortem contritus, num ſepeliendus eſt in Eccleſia? *R.* non niſi priùs procuretur Abſolutio ab Excommunicatione, ſi confeſſus & abſolutus fuerit, licet à ſimplici Sacerdote in articulo mortis poteſt ſepeliri. C*p. Parochiano Deſepult:* Quòd autem ſigna dederit doloris, ſufficit unus teſtis fide dignus.

De Spe

Q. Quid eſt Spes? *R.* eſt virtus ſupernaturalis per quam fideles certa cum fiducia ſalutem, & vitam æternam ſperant, & expectant. Præceptum ſpei eſt affirmativum.

Q. Spes Divina quod habet partes. *R.* 2. 1*ma* Eſt Deſiderium quo deſideramus bona à Deo danda, quia Deus eſt ſummum bonum & unica noſtra beatitudo. 2*da* Eſt confidentia quâ confidimus nos ea obtenturos, per gratias & merita Xti, quæ Deus promiſit.

Q. Quæ ſunt bona quæ ſperare debemus à DEO? R. Præcipua ſunt iſta. 4 Remiſſio peccatorum, auxilia ad vitam æternam, gratia in fine vitæ, Et ſalus animæ.

Q. Quando obligat Præceptum hoc. *R.* 1. dum aſſecuto rationis uſu homini Deus & Beatitudo proponitur. 2. dum inſurgunt graves motus deſperationis. 3. quando aliquem actum

virtutis

virtutis exercemus, tunc enim actus ſpei intervenire debet, ſaltem implicite. 4. ſæpiùs in vita, maxime in Articulo mortis.

Q. Quomodo peccatur contra ſpem. R. 1. deſperando de impetranda veniá peccatorum, & gloria æterna. 2. ſperando in creatura ut primariò juvante ad beatitudinem; poſſumus enim ſperare in creatura ut ſecundariò juvante, & ſic B. V. M. dicitur ſpes noſtra. 3. præſumendo, dum quis putat ſuis meritis ſine gratia Dei poſſe aſſequi beatitudinem, vel dum confidit quidem impetrare veniam peccatorum ſed ideo perſeverat in peccatis. 4. non ſperando, obligante præcepto ſpei.

Q. Timore peccaturne contra ſpem? R. minime quia ex parte noſtra timemus Deum propter noſtram infirmitatem, ex parte autem Dei, ſperamus propter auxilia gratiæ, quæ confert, & quibus infirmitatem, noſtram ſublevat.

Q. Quotuplex eſt Timor Dei. R. *Servilis* qui procedit ex metu pænarum præcitè. *Filialis* ex horrore culpæ, quia Dei ſumme boni offenſiva eſt. Et *reverentialis* qui procedit ex apprehenſione juſtitiæ Dei & exeellentiæ offenſæ.

De Charitate.

Q. Quid eſt Charitas? R. eſt virtus Theologica, quâ Deus diligitur propter ſe ſuper omnia, proximus autem propter Deum.

Q. Quotuplex eſt amor Dei? *Appretiativus* qui conſiſtit in æſtimatione infinitæ bonitatis Dei, ſicut quando homo æſtimat omnia reſpectu Dei eſſe nihil, & paratus eſt perdere omnia pro amore Dei,

te Dei, si id Deus exigeret. *Et intensivus* qui consistit in vehementi affectu, ut si quis videtur ardere, & ferri in Deum amore tali, sicut Filius erga Parentes &c.

Q. Quo amore tenemur Deum amare. R. tenemur amare saltem amore appretiativo, *Dixi saltem* quia licèt convenientissimum esset amare Deum etiam amore intensivo, ut multi amârunt in hac vita Sancti, interim non est præceptum de hoc eliciendo amore, nam spectata fragilitate humana & spectato statu modernæ vitæ, in quo majore affectu ferimur in sensibilia quàm spiritualia, & magis in præsentia quàm futura, ideo impletur præceptum Divinum de Charitate, quando amamus Deum amore appretiativo.

Q. Quando obligat Præceptũ Charitatis. R. sicut præceptum *negativum* fidei spei ita charitatis obligat semper pro semper, ita ut nunquam liceat bonum creatum magis appretiare quam Deum. *Affirmativum* obligat, *1mo* dum adepti sumus rationis usum. *2do* cum ex tentatione periculum imminet, ne in odium Dei aliquis labatur, nisi actum charitatis eliciat. 3. quoties quis vult justificari de peccatis & elicere contritionem. 4. Quoties nobis occurrunt beneficia Divina, 5. sæpius in vita, maximè in articulo mortis.

Q. Quæ sunt vitia opposita charitati Divinæ? R. omne quidem est peccatum contra charitatem Dei. Interim directè, & formaliter opponitur charitati Divinæ odium, & contemptus Dei. Odium Dei est gravissimum peccatum, nec leve fieri potest ratione materiæ, nisi ratione imperfectæ deliberationis, & assignatur duplex. *odium abominationis* est quo quis odit non quidem ipsum

Deum, ſed diſpoſitionem ejus, quæ aliquando eſt contraria intentioni ejus. *Odium inimicitiæ* eſt, quo improbus ipſum Deum odit, tale odium datur in damnatis. *Contemptus* qui directè opponitur virtuti religionis de qua infra, opponitur etiam charitati. Et eſt duplex *Formalis* & *interpretativus*. *Formalis* Dei contemptus eſt, qui directè contemnit honorem Dei, & dignitatem ejus. *Interpretativus* eſt, quando quis non contemnit quidem Deum, ſed tantum talem actionem facit, quæ in ſe Dei contemptum continet, Talis contemptus eſt omne peccatum mortale, quia omnis qui peccat, eo ipſo videtur contemnere præcepta Dei, conſequenter ipſum Deum,

De Charitate proximi.

Q. Poſt Deum in terris quem diligere debeamus? *R*, nos metipſos, & noſtrum proximum.

Q. Quis eſt noſter proximus? *R*. omnis homo beatitudinis capax, ſive fidelis ſive infidelis, ſive amicus, ſive inimicus.

Q. Quomodo peccatur contra Charitatem in nos metipſos? *R*. 1. *per exceſſum* quando nos nimis amamus quod tunc fit, quando Deo nos præferimus. 2. *per defectum* quando nos non ſatis diligimus, quod fit, quando ſalutem noſtrā ſive temporalem, ſive ſpiritualem negligimus.

Q. Quando peccatur contra charitatem in proximum? *R*. 1. inordinate eum diligendo. 2. malum ipſi optando, vel deſiderando. 3. in neceſſitate præſertim extrema non ſubveniendo. 4. in corpore, vel anima, honore, fama vel aliis rebus temporalibus eidem nocendo.

Q.

Q. Quando ſub mortali tenemur ſuccurrere proximo? R. in gravi & extrema neceſſitate, triplex autem neceſſitas proximi. *Communis eſt* qua laborant Triviales, & Hoſpitales, Pauperes communes. *Gravis* quam patiuntur, qui ſunt in periculo gravis mali. *vg.* Captivitatis, quibus ſi non ſuccurratur infallibiliter pati deberent captivitatem, jacturam honoris, & ſtatûs. *Extrema eſt* ex qua imminet periculum vitæ, aut diuturni morbi. In gravi verò & extrema neceſſitate tenetur quisq; ſub mortali peccato proximo ſuccurrere, ſi poteſt.

Q. Ex quibus bonis tenemur Elemoſynā dare, R. ex bonis ſuperfluis. Item triplex eſt Eleemoſyna *bona* quæ datur ex bonis ſuperfluis. *Melior* quæ ex neceſſariis *Optima* & maximè placens Deo, quæ datur à paupere,

Q. Quis Ordo in dilectione ſervandus eſt? R. ſi extra extremam neceſſitatem ſuccurrendū ſit. 1. Uxori, quia una eſt caro cum viro. 2. Filiis & Parentibus, & Patri, præ matre. 3. Fratribus, Sororibus, deinde propinquis, & familiaribus, In extrema autem neceſſitate parentes, eo quod vitam dederint, ſint præferendi Filiis.

In rebus pertinentibus ad Civilem communicationem Præferendi ſunt concives, in bellicis comminlitoes, in ſpiritualibus: Patres & fratres ſpirituales. Imo etiam Parentes in ſpiritualibus præferendi, quia 1ma conjunctio carnalis, eſt fundamentum aliarum conjunctionum.

Q. Num quis ſuccurrere tenetur proximo in extrema neceſſitate Spirituali conſtituto etiam cū periculo vitæ? R. affirmativè ſi ſit certa ſpes

illum juvandi, & non possit aliâ viâ juvari, nec sit periculum proprii damni Spiritualis.

Q. Quali amore tenemnr inimicos diligere. R. amore interno, & externo. Item secundum bona spiritualia, & corporalia, ac quæ aliis proximis exhibere debemus, ut dictum, nam & inimici sunt proximi, consequenter sunt diligendi ex Divino Præcepto. Strictam tamen amicitiam non tenemur habere cum inimicis, & Divinum præceptum implemus, si solum communia dilectionis signa præstamus inimicis, licèt optimè faciat ex consilio, qui etiam specialia signa ostendit inimicis.

Q. Quæ sunt vitia opposita charitati proximi? R. odium invidia scandalum &c.

Q. Quid est odium, R. est actus quo aversamur proximum, optando illi malum.

Q Quotuplex est odium? R. duplex *Inimicitiæ* quo volumus proximo malũ quatenus illi malũ est, & hoc est peccatum grave, vel leve, juxta levitatem, aut gravitatem naturæ. *Et abominationis* quo non personam, sed ejus malitiam, vel saltim personam tantùm, ut malam, aut nobis noxiam aversamur, & hoc regulariter non est peccatum.

Q. Si quis inimicum graviter sibi infensum salutantem non resalutaret peccaret ne mortalster? R. affirmativè quia esset signum odii, à mortali excusaretur, si circumstantiæ sint tales, ut omissio resalutationis judicio prudentis non sit signum odii *vg.* si salutans sit valde inferior.

Q. Quid est invidia? R. est tristitia de bono alterius, ut est diminutivum propriæ excellentiæ. Et est ex genere suo peccatum mortale.

Q.

Q. Vnde dicitur invidia? R. à non videndo, quia non poteſt videre bonum alienum.

Q. Quid eſt invidentia fraternæ charitatis? R. quando quis non ſolum invidet perſonæ fratris, ſed etiam invidet gratiæ Dei creſcenti per fratrem in mundo.

Q. Quid eſt Suſurratio? R. Eſt diminutio famæ alterius per verba ſecreta, & occulta, convenit cum detractione, quia uterquè dicit malum de proximo in ejus abſentia, ſed intentione diſtingvitur, quia ſuſurro intendit diſcordiam inter amicos diſſeminare. Detractores autem intendunt famam perimere.

Q. Quid eſt ſcandalum? R. Eſt dictum vel factum minus rectum præbens alicui occaſionem ruinæ. Aliud eſt *activum* quando quis dicens vel faciens aliquid minus rectum præbet alteri occaſionem peccandi. Aliud *Paſſivum* quando quis ſumit peccandi occaſionem ex dicto, vel facto alterius. Aliud eſt *acceptum* ſeu *Pharyſaicum* quod non oritur ex activo ſcandalo. ſed ex malitia audientis, vel videntis, quando ſcilicet ex bonis actionibus ſiniſtrè intellectis malitiosè quis ſcandalizatur, & tanquam aranea ex Roſis ſumit venenum. Scandalum aliud eſt *formale* quando quis formaliter intendit ruinam proximi, & eſt merè peccatum diabolicum. Aliud *materiale* quando quis non intendit ruinam proximi, ſed propriam delectationem, & ex ea ſequitur ruina proximi.

Q. Scandalum in re gravi quale eſt peccatum? R. ſive ex illo ſequatur ſcandalum paſſivum, ſive non, eſt mortale, & ſcandalizans tenetur in conſcientia bonum exemplum dare, quaſi reſtituens,

 quod

quod abstulit, reducendo scandalizatum ad pristinum bonæ vitæ statum.

De Duello

Q. Quid est Duellum? *R.* Est pugna singularis duorum, vel plurium, ad mortem, vel mutilationem, ex privato motivo, & ex mutuo condicto designata ad certum tempus, & facta. Differt à simplici rixa, quia hæc non fit ex condicto, sed ex simplici aliquo casu.

Q. Quô jure prohibitum est Duellum? *R.* Jure naturæ, humano, & Ecclesiastico.

Q. Qui incurrit Excommunicationem propter Duellum? *R.* Ex Decretis Pontificum 1. Extenditur Excommunicatio etiam ad Duellum privatum Sine patrinis sive assistentibus. 2. Ad permittentes, et non prohibentes Principes faventes, & non punientes. 3. Ad Fautores adhærentes, spectatores, portantes Chartas Duelli, subscribentes, affigentes, & publicantes dictantes, componentes, mittentes, deferentes, divulgantes, imprimentes vel etiam solo verbo denunciantes, consilium, & favorem præbentes, & quidem hæc Excommunicatio quo ad omnes has personas est reservata Papæ. Potest tamen tolli ab habente facultatem absolvendi à reservatis Papæ.

Q. In quibus casibus Duelli non incurritur Censura? *R.* 1. Si in invitatione præfiniatur locus, sed non tempus. 2. Si præfiniatur tempus, sed non locus. 3. Si præfiniatur locus, & tempus, non tamen ad pugnandum armis, sed pugnis. 4. Si dicta præfiniantur, sed provocatus non accessit.

accessit.

acceſſit. *Leza: Dian: Salmaticen* & *alii* &c.

Q. Si quis in Duello vulneratus petat pænitentiam, quæ Sacramenta debent ei adminiſtari? R. Sacramentum Pænitentiæ Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis non autem ſepultura Eccleſiaſtica. c. 1. & 2. *de torneamentis.*

Q. Quare huic majora conceduntur, & minora donegantur? *R.* quia Sacramentum Pænitentiæ & Euchariſtiæ ad ſalutem animæ ſunt neceſſaria, & ideo communicantur, at verò pæna poſita ab Eccleſia, ut talis careat ſepulturâ Eccleſiaſticâ, non tollitur ab Eccleſia per Pænitentiam, ut homines à tali crimine arceantur, ſed debet pro curari abſolutio ab Excommunicatione. *tex: in* c. 1. *de torn:* & *ib: gl.*

De Cultu Religionis.

Q. Quid adhuc nobis præcipitur *1mo* Præcepto? R. Cultus religionis.

Q. Quid eſt Religio? *R.* Eſt virtus per quam homines debitum Deo reddunt cultum.

Q. Quid eſt Cultus? *R.* in genere Cultus ſeu adoratio: eſt actus quô quis inferior alteri ſe ſubmittit illum honorans in recognitionem Excellentiæ.

Q. Quotuplex eſt Cultus? *R.* omiſſâ variâ diviſione Cultûs civilis, ſed tantùm ut eſt religionis: eſt triplex. 1. *Latriæ dicitur* ille: qui ſoli Deo debetur propter infinitam ejus Eccellentiam. 2. *Hyperduliæ* Eſt minor quam Dei, major autem quam Sanctorum. Et talis Humanitati Chriſti præcisè debetur. Cultus etiam Hyperduliæ debetur. B. V. M. 3. *Duliæ* Cullus eſt

minor quàm Hyperduliæ, & talis debetur Sanctis.

Q. Per quod dignoscendi sunt prædicti Cultus? R. per solam intentionem, seu per actum internum. Omnis enim Adoratio externa est indifferens ut Deo fiat, vel homini. Unde genuflexio totius Corporis prostratio, non sunt Signa cultûs Latriæ. Tales enim Adorationes per intentionem fiunt. Unde si adoratione externâ intendit quis adorare Deum recognoscendo ejus supremum Dominum erit cultus Latriæ, si B. V. M. erit Hyperduliæ.

Q. Quotuplex est adhuc Cultus? R. 2plex Absolutus, & respectivus. *Absolutus* est quando quis honoratur propter se & propter suam dignitatem. *Respectivus* est quando quis honoratur non propter se, sed propter dignitatem, quam in se gerit, aut repræsentat. Patet hoc ex cultu Sanctorum, qui honorantur cultu absoluto propter suam dignitatem, Imagines verò cultu respectivo.

Q. Quotuplices sunt actus religionis? R. 2plices. *Interni* qui sunt submissiones animi. Et *externi* ut Sacrificium, Oratio, Cæremoniæ.

Q. Invocatio Sanctorum estnè necessaria ad salutem? R. licèt quidem non omnino sit necessaria, est tamen Licita, utilis, & pia.

Q. Quid de imaginibus tenendum? R. Deus non omnino prohibuit usum imaginum, sed tantùm, nè adorentur tanquam idola.

Q. S. Joaanes Epi: 1. c. 3. agit. *Filioli custodite vos à simulacris*? R. hic monet conversos à se Ethnicos, ne redeant ad idololatriam.

De

De Secundo Præcepto.

Q. Quæ prohibentur 2do Præcepto? R. Blasphemia, Juramentum, Perjurium &c.

Q. Quid est Blaspemia? R. Est peccatum quô quis Deo detrahit aliquid vg. Excellentiæ Divinæ attributum, aut contumeliam infert. Potest fieri verbo ut si quis vg. diceret: *Deus malè regit orbem.* vel opere vg. si quis spueret, vel signa aliqua faceret contra Deum.

Q. Quotuplex est Blasphemia? R. duplex. *Simplex* quando aliquod verbum contumeliosum profertur ex ira, sine pertinacite. Et *Hæreticalis* id est juncta hæresi, quando quid profertur pertinaciter, & creditur, sic Ariani blasphemant Christum, Divinitatem ejus negantes, & hanc blasphemiam tuebantur pertinaciter.

Q. An Blasphemia in Sanctos comitti potest? R. affirmative docet S. Thomas, ut enim laudare Sanctos, quatenus ad Deum pertinent, ejusq; amici sunt, est actus Religionis, sic illis maledicere, aut contumeliam irrogare, est peccatum blasphemiæ.

De Juramento.

Q. Quid est Juramentum? R. est invocatio nominis Dei in testimonium.

Q. Quotuplex est Juramentum? R. *Juramentum Vocale* (cùm *mentale*, quod ut loquitur *Suar:* solum inter Deum & hominem versari potest, & cum interiori voto conjungitur, ad materiam de voto pertineat) dividitur in *Assertorium* quô confirmamus id, quod asserimus, vel nega-

mus. *Et in Promissorium* quô confirmamus id quod promittimus.

2*do* Aliud est *Deliberatum*, quô quis cum attentione & intentione jurat. *Et indeliberatum* quod fit è contra.

3*tio* *Aliud materiale tantùm*. quô quis sine intentione utitur verbis, quæ vim juramenti habent. Aliud *formale* tantùm, quô quis profert verba, quæ ex se nullam habent formam juramenti, assumit tamen ea, animo & intentione jurandi. Aliud est *mixtum* quô quis profert verba, quæ formam habent juramenti, idq; cum animo, & intentione jurandi.

4*to* Aliud est *Expressum* quô Deus expressè. Aliud *Tacitum*, quô Deus tacitè & implicitè in testem vocatur.

5*to* Aliud est *Simplex*, quô Deus tantùm vocatur in testem. Aliud *Execratorium* seu imprecatorium, quô Deus, non tantùm vocatur in testem, sed etiam in judicem, & vindicem. Talia sunt: moriar, à terra absorbear! fulmine percutiar! &c. si non ita est.

6*to* Aliud est *Solemne* quod fit solis verbis, aut signis æquivalentibûs. Aliud *Sincerum* quod fit absq; *& dolosum* quod fit cum animo decipiendi Aliud *Judiciale* quod præstatur in, *& non judiciale* quod præstatur extra judicium. Aliud *Absolutum* cui nulla conditio additur. Et *conditionatum* cui conditio additur. Aliud *Liberum* quod spontè emittitur. Et *Coactum* quod coactè fit, sive quod vi aut metu extorquetur. Aliud fit verbis, aliud fit factis. *vg.* ponendo digitos super Evangelia Aliud *licitum*, aliud non *licitum*.

Q. Quæ requiruntur ad Juramentum conditiones? *R.* Veritas Justitia & Necessitas.

Juramen-

Q. Juramentum estne actus Religionis? R. affirmativè si fiat cum dictis conditionibus.

Q. Juramentum cùm sit bonum, quare prohibeatur, ut non fiat sine causa? *R.* propter periculum perjurii vel actualis, vel futuri, quod gravissimum est peccatum.

Q. Juramentum non adimplere in re levi, quale est peccatum? *R.* veniale.

Q. Si quis juravit dare 10. aureos pauperibus, & postea ædificet Ecclesiam frangitne juramentum? *R.* non, quia in melius commutavit *c. pervenit.*

Q. An Juramentum quod est contra bonos mores vel damnum. *3tii* obliget? *R.* negativè.

Q. Quomodo peccat qui jurat se facere rem malam. *R.* si mortaliter malam mortaliter, si venialiter malam, venialiter peccat.

Q. An Juramentum castitatis, & religionis est reservatum. *R.* alii affirmant, alii probabilius negant. Azor. Aloza &c. Probabile etiam est quod possit Episcopus in eo dispensare.

Q. Quæ excusant ab impletione juramenti. *R.* 1. si quod bonum erat, tempore juramenti, propter circumstantias, postea fiat illicitum, vel vanum, impeditivum majoris boni, vel melius sit omitti, quàm impleri. 2. si juramentum mutetur in opus aliud apertè melius, & Deo gratius, nisi factum esset in gratiam hominis. *3tio* si status rei notabiliter mutetur. 4. si res jurata facta sit inutilis ad intentum, maximè si sit magis illius destructiva. *5to* si ita ferant conditiones quæ in quovis juramento promissorio tacitè includuntur vg. si *potero salvo jure superioris: nisi obligatio tollatur. &c.*

Q. Qui

Q. Qui prohibentur à jure jurare in judicio *R.* masculi ante annum 14. & puellæ ante 12. in causis civilibus: in criminalibus autem ante 25. Repelluntur à juram.nto emittendo perjuri, quia præsumuntur pejeraturi, amentes, furiosi. Item interdicitur Sacerdotibus, Prælatis in judicio sine gravi causa, & necessitate. Clerici jurare prohibentur coram Judicie Laico sine licentia Episcopi; in actu testificationis, vel si opus est illorum juramento jurare debent coram judice Ecclesiastico, & tunc sæculari remittendum est juramentum.

Q. Quot modis tollitur juramentum? *R.* per irritationem, dispensationem, commutationem, & remissionem.

Q. Quis potest irritare juramenta? *R.* Superior, maritus, & Dominus respectivè.

Q. Quis potest dispensare in juramento? *R.* qui habet potestatem ordinariam, & delegatam, vel privilegium dispensandi in votis. Juramentum in Dei gloriam emissum potest quivis in melius propria Authoritate commutare.

Q. Dum juramentum legitimè exigitur, aut à Judice justè assignatur, an liceat tunc jurare cum æquivocatione, aut restrictione purè mentali, aut sinè animo jurandi? *R.* negativè.

Q. Quid sit aut quando est restrictio? *R.* tunc est quando non tota ratio, seu non totus sensus profertur de aliqua re, & sic decipitur audiens, vg. si fur diceret ego nunquam furor, & retineret in mente: ex Ecclesia, propter hanc restrictionem in mente deciperetur audiens, & judicaret, qùod nunquam furetur. Duplex autem est restrictio *Pure mentalis:* quæ fit tunc, quando

do illud, quod retinetur in mente, nullô ſignô manifeſtatur externò, & nullis circumſtantiis cognoſci poteſt: *Et non purè mentalis*: eſt quando illud, quod retinetur in mente, ex ſigno aliquo externo vel circumſtantiis aliquibus cognoſcitur, aut ex officio dicentis: ut ſi Confeſſarius interrogaretur de peccatis pænitentis, ille reſponderet, quod nullam haberet ſcientiam de peccatis, in mente retinendo: propter te. Ideo talis reſtrictio cognoſci poteſt ex officio Confeſſarii, quia obligatur in nullo caſu revelare peccata pænitentis. Porro mendacium eſt reſtrictio purè mentalis, & ſi fiat cum juramento eſt perjurium. Imo etiam in materia jocoſa & leviori, non eſt licita reſtrictio pure mentalis æquivoca.

Q. Quid eſt acceptilatio? R. eſt habitio rei pro recepta. Tamb:

Q. Creditor in pecuniam aut dotem contra Paulum volens remittere, aut gratis donare, num licitè jurare poſſit coram notario, ſe pecuniam aut dotem à Paulo recepiſſe? R. cum Tamb. affirmativè quia ex communi acceptatione, & conſvetudine, tunc verba non ſumuntur, ut ſignificant propriè, quia tunc eſſet perjurium, ſed impropriè, quatenus pro receptis habet, & talis acceptilatio æquivalet veræ receptioni. At quando jurat, habere debet animum verè remittendi, alioquin erit mendax, & perjurus.

Q. Quid eſt perjurium? R. eſt quando quis invocat Deum in teſtimonium ſuæ falſitatis:

Q. Quis cenſetur perjurus? R. qui falſo jurat, vel qui non ſervat, vel non ſatisfacit juramento.

Q. Qua

Q. Qua pæna punitur perjurus? *R.* jure Pontificio fit infamis, & si est Clericus deponitur à Beneficio, & Ordine. Etsi Beneficium conferatur perjuro, collatio ipso facto est nulla &c.

De Adjuratione.

Q. Quid est Adjuratio? *R.* est cum inducitur aliqua persona ad aliquid faciendum, vel omittendum invocatione Dei, vel alicujus rei Sacræ.

Q. Quot modis potest fieri adjuratio? *R.* 1. per petitionem, orationem, & obsecrationē. 2. Per imperium & coactionem. Si fiat cum debitis requisitis est actus religionis.

Q. Ut sit licita quæ conditiones requiruntur? *R.* 3. Veritas Judicium & justitia.

Q. Quo modo adjurare liceat? *R.* cum debita humilitate, & reverentia possum orando, & deprecando adjurare Deum ipsum per seipsum, vel per Jesum Christum, per sacra Mysteria. Item Possumus B. Virginem & Sanctos, & Angelos petendo, & obsecrando adjurare per Deum, & Jesum Xtum, & per se ipsos, non autem per creaturas inferiores. Similiter possumus omnes Viatores adjurare per Deum.

Q. Num creaturæ irrationales ut animalia nociva grandines & tempestates &c. possint adjurari? R. Secundum se directè & proprie non possunt, quia non sunt capaces rationis, ut possint per adjurationem moveri ad aliquid: quatenus verò moventur sivè à Deo in pænam peccatorum, sivè à Dæmone ad nocendum, possunt indirectè adjurari, sivè adjuratione deprecativâ in ordine ad

Deum

Deum, sivè imperativâ in ordine ad dæmonem, Et ad hoc serviunt Exorcismi.

Q. An licitè possint adjurari Dæmones, ut pellantur à corporibus obsessis? *R.* possunt adjuratione imperativâ, & cöactivâ in nomine Dei & Sanctorum nullo modo deprecativâ adjuratione, nam regulariter esset mortale.

De 3tio Præcepto.

Q. Quid hoc Præcepto præcipitur? *R.* observatio Festorum, in quibus cessandum est ab omni opere servili, & vacandum devotioni sub gravi peccato.

Q. Quæ dicuntur opera servilia? *R.* opera in tripiici sunt differentia. 1. alia sunt animæ, ut studere scribere, & docere. 2. Alia sunt corporalia, ut venari iter facere &c. 3. Alia sunt servilia ut Fabricare, serere, arare &c. Et hæc maximè sunt prohibita.

Q. Quis potest instituere dies festos in honorem SSrum, & dare licentiam ad exercendum in illis servilia? *R.* Pontifex summus. Concilia, Episcopi in suis Diæcesibus.

Q. In quibus casibus potest quis exercere servilia diebus festis absq; mortali peccato? *R.* 1. In servitium Dei, ut pulsare campanas mundare Ecclesiam &c. 2. In servitium quotidianum, & necessariū hominibus, ut curare infirmos mundare domos, condere cibos. 3. In necessitatem corporalem, ut si quis ita sit pauper, ut non possit præbere sibi vel suæ familiæ cibum, nisi die festo laboret. 4. Propter communem necessitatem. 5. Ad fugendam majorem perditionem corpora-

lem:

lem : ut tempore belli, tempestatis, incendii &c.

6. Ratione pietatis ; ut sepelire mortuos &c. in beneficium publicum Reipublicæ.

De 4to Præcepto.

Q. Quid hoc præcepto præcipitur ? R. honor Parentibus debitus, imo & omnibus superioribus.

Q. Qualis honor debetur omnibus istis ? R. amoris, Obedientiæ, & Reverentiæ.

Q. In quo consistit hic honor Parentum ? R. in Reverentia exteriori, eos adjuvando in necessitatibus corporalibus, & Spiritualibus, sustentando illos propriis bonis.

Q. Si quis haberet Pauperes Parentes, & non posset eosdem sustentare, talis potestne ingredi religionem ? R. non potest, imo si ingressus est exire tenetur ad eos alendos, quia alere Parentes est de Præcepto, & ingredi Religionem est de consilio.

Q. Num Pater possit ob correctionem Filium in sacris constitutum percutere ? R. alii affirmant, alii probabilius negant, & præcipuè si Sacerdos sit.

Q. Qui pecant contra hoc Præceptum ? R. Filii Parentibus Amorem, Reverentiam & Obedientiam debitam denegantes, odio eosdem prosequentes, malum vel mortem illis optantes, opem non ferentes, animas eorum suffragiis juvare negligentes. Discipuli Præceptoribus, inferiores, superioribus inobedientes, contra eosdem murmurantes. &c. &c.

De 5to Præcepto.

Q. Quid eſt homicidium. R. eſt injuſta hominis occiſio.

Q. Quot modîs fieri poteſt. R. multîs, Præceptô, conſiliô, permiſſione, auxiliô, cooperatione, &c.

Q. Qui propter homicidium à ſe commiſſum ſcit alium eſſe in carcere cum vitæ periculo, an tenetur ſe prodere. R. non, ita Navar. N. 17. ſed tenetur curare, ut eum liberet *vg.* redimendo.

Q. An licet aliquando occidere. R. licet in defenſionem ſui, ac bonorum neceſſariorum pro ſuſtentatione vitæ, dummodo defenſio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Q. Quando hoc moderamen habetur. R. tunc habetur quando defenſio, aut vitatio mali, aliter, ſeu aliâ viâ haberi non poteſt, ſed aggreſſoris occiſio eſt unicum, & ſingulare medium ad illam.

Q. Qui occidit hominem pro defenſione vitæ ſuæ, vel caſtitatis, vel alterius virtutis, ac bonorum neceſſariorum pro ſuſtentatione vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ an peccat? R, nec peccat, nec evadit irregularis. In aliis autẽ caſibus licet non peccet fit irregularis ex defectu lenitatis.

Q. An liceat prævenire occidendo illum, à quo quis eſt occidendus? R. probabilius eſt quod liceat, quando quis aliter vitam propriam defendere non poteſt, ab aggreſſore armìs contra ſe irruente. *Dixi armìs* quia ſi quis impetatur falſis accuſationibus, aut injuſto proceſſu, non eſſet licitum falſos teſtes, vel judicem iniqvum occidere.

Q. Aliquis infecit vinum venenro pro inimico, ſupervenit amicus, qui bibit & mortuus eſt, an ſit homicida? R. Tamb. c. 4. de Lugo Diſp. 8. negat

gat esse homicidam, & irregularem; si eum monere non potuit sine suæ vitæ propriæ periculo, quia tunc mors amici est illi involuntaria cum præcavere non potuerit.

Q. Quid Confessarius homicidæ ultra onus restitutionis pro Pænitentia assignare debeat. *R.* Missas, Communiones, Eleemosynas, Jejunia, Orationes, aliquoties faciendas in vita pro anima occisi.

Q. Qui casu seu præter intentionem alium occidit, vulneravit, sitne homicida & irregularis. *R.* affirmativè, si fuit in culpa gravi sufficientem diligentiam non adhibendo, quia homicidium est voluntarium in causa. Si verò non fuit in culpa, quatenus nullò pactò periculum advertit, vel si advertit, sufficientemq; diligentiam adhibuit, & præcavit, seu transeuntes monuit, plures tenent eum irregularitatem non incurrere si dedit operam rei licitæ. Incurrere verò, si dedit operam rei illicitæ, ex qua secuta est mors *vg.* si Clericus arma gerens, aut ad venationem pergens casu occidat alium.

Q. An sepeliendus est in loco Sacro qui seipsum occidit. *R.* id vetant Canones, qui tamen non sunt intelligendi de iis, qui ex furore, amentia, vel passione gravissimæ tristitiæ turbatâ phantasiâ id fecerunt, vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt, quodsi constet quempiam se ipsum occidisse, & dubitetur utrum deliberatè factum sit, in praxi privatur Sacrâ sepulturâ, cùm præsumatur, secundùm opus externum voluntariè esse factum, nisi tamen ex circumstantiis contrarium colligatur. Si verò dubitetur à seipso an ab alio? *vg.* si præcipitatus in aquam, delictum tam atrox & contra naturam non præsumitur commisisse sine eviden-

evidentibus indiciis, adeoq; poteſt in loco S. ſepeliri.

Q. Qui peccant contra hoc Præceptū. R. non ſolùm illi qui occidunt, mandant, conſulunt, ſed etiam qui ſe motu iræ ultra rationis limites abripi ſinunt, ſibi mortem optant, convitiîs honorem lædunt proximi, ad duellum provocant, vel provocationem acceptant, qui non impediunt, cum poſſint, abortum procurant, vel qui idē cauſant &c.

Q. Licetne ſibi inferre mortem. R. negativè & licet legantur quædam Sanctæ Virgines id feciſſe, id vel per ignorantiam inculpabilem, quia id quibusdam caſibus licitum putârunt, vel ex ſpeciali Dei inſpiratione fecerunt.

De 6to & 9no Præcepto.

Q. Quæ prohibentur 6to Præcepto? R. non ſolum adulterium ſed etiam omnis actus illicitus, venereus, internus, & externus.

Q. Quid eſt Luxuria? R. eſt vitium inclinans ad uſum venereorum, quod ex natura ſua eſt peccatum mortale, nec datur in eo parvitas materiæ.

Q. Quotuplex eſt Luxuria? R. Alia eſt *perfecta* ſeu conſumata quæ eſt tunc, quando intercedit ipſe actus carnalis. Alia *imperfecta* quæ fit per delectationes moroſas, vel conſenſus internos. Item perfecta eſt duplex *naturalis* quæ fit curſu naturali. Alia *contranaturalis* ſeu contra naturam, quæ ordine à natura non inſtituto committitur.

Q. Luxuriæ perfectæ quæ ſunt ſpecies? R. Septē.

1. *Simplex Fornicatio* quæ eſt inordinatus concubitus ſoluti cum ſoluta. Copula cum infideli addit ſimplici Fornicationi malitiam ſpecie diſtinctam in Confeſſione aperiendam, eſtq; in Diæceſi noſtra Cracov: caſus reſervatus RR. Ordinario.

2. *Stuprum* est defloratio puellæ Virginis ipsâ invitâ. Tunc dicitur invita, quando vi, aut dolo, timore, aut fictâ promissione matrimonii inducitur ad copulam. Unde tenetur in foro conscientiæ illam ducere in uxorem, aut juxta sui possibilitatem, & prudentis arbitrium dotare, uti esset virgo.

Q. In quibus casibus stuprator non tenetur dotare. *R.* 1mo si Virgo non vivebat honestè nec servato verecundiæ pudore. 2. si puella post stuprum patiatur se ab aliis carnaliter cognosci.

3. *Adulterium* est inordinatus concubitus, personarum quarum ambæ, vel una ex illis est ligata vinculo matrimonii. Unde conjugatus conjugatam cognoscens duo adulteria committit in Confessione exprimenda ob duas injurias, & injustitias, unam proprio, alteram alterius conjugi illatam.

Q. An malitia adulterii contrahitur etiamsi maritus in adulterium uxoris consentiat? *R.* affirmativè quia injuria fit conjugi non absolutè considerato sed ut subest statui matrimoniali, ob quē habet jus in conjugem cui juri cedere, & renuntiare non potest.

4. *Incestus* est inordinatus concubitus cum consangvinea, vel affini. Affinitas si sit orta ex copula licita, nempe matrimoniali extendit se usq; ad 4tum gradum si ex copula illicita usq; ad 2dū tantum.

5. *Raptus* est quo Persona aliqua invita, vel resistentibus ejus Parentibus, aut illis, sub quorum cura est, abducitur per vim ad libidinem explendam, vel matrimonium contrahendum.

Q. Quæ in raptu requiruntur. *R.* 1. abductio Personæ raptæ à Domo sua vel Paterna, & in

in aliena detentio 2. requiritur vis. Et sic contrahit etiam malitiam injustitiæ, alioquin erit fuga voluntaria. 3. quod abductio sit causâ explendæ libidinis, vel ineundi matrimonium. Raptus à stupro differt, quia stuprum semper est cum Virgine, raptus verò cum quacunq; muliere.

Q. Quæ sunt pænæ contra raptorem ex jure Canonico? *R.* 1. infamia, adeoq; est irregularis, ut non possit Ordines suscipere & Beneficia. 2. Excommunicatio, quæ non est reservata. 3. Obligatio dotandi raptam. 4. Si raptor sit Clericus est depositio ab exercitio & officio Ordinis, quæ pæna est ferendæ sententiæ. 6. *Sacrilegium* est peccatum Luxuriæ, quô persona sacra, qualis est persona voto castitatis Deo dicata, vel locus sacer violatur. Si ambæ personæ, quæ peccant sunt Sacræ, est duplex Sacrilegium in confessione exprimendum, ob duas injurias, & irreverentias numero distinctas. Personæ autem Deo dicatæ sunt: Clerici in Sacris constituti, Religiosi, & Religiosæ.

7. *Peccatum contra naturam.* est illud, quo fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ.

Q. Peccati contra naturam quot sunt species. *R.* 4. 1. Pollutio seu mollities, quando absq; copula seu licita seu illicita procuratur fluxus seminis. Si in pollutione liberam, conjugatam, voto castitatis ligatam quis cogitet, debet hanc circumstantiam exprimere, quia illa speciem malitiæ contrahit ex objecto.

2*da* Inordinatus concubitus consistit in modo non ordinario, sive in copula licita, sive illicita vg. si vir succumberet.

3tia Sodomia, quæ eſt congreſſus perſonarum ejuſdem ſexus, & vocatur ſodomia perfecta, vel diverſi ſexus, ſed extra vas naturale, & vocatur imperfecta. Copula Sodomitica non parit affinitatem, quia affinitas oritur ſolum ex copula naturali.

4ta Beſtialitas, eſt congreſſus hominis cum beſtia, quod eſt graviſſimum peccatum. His ſolet addi *impudicitia* quæ conſiſtit in tactibus, aſpectibus impudicis, verbis obſcænis, cogitationibus &c.

Q. Quid eſt delectatio moroſa? *R.* delectatio moroſa non dicitur à longa temporis mora, ſed inde, quod voluntas habità notitià malitiæ immoratur, quod poteſt in inſtanti fieri.

Q. Quæ poſſunt eſſe ſigna conſenſus præſtiti, vel non, ab eo qui poſitivè non reſtitit extra caſum periculi proximi. *R.* 4. ſunt conſideranda 1. Qualitas *Perſonæ*, an ſit timoratæ, vel laxæ conſcientiæ. 2. Qualitas *delectationis* venereæ. An fuerit levis, vel gravis: brevis vel diuturna. 3. Qualitas Cauſæ. An rationabilis, ut auditio Confeſſionum, ſtudium &c. vel irrationabilis ut curioſus aſpectus, turpis lectio, aut locutio &c. 4. An aliquam ejus dilectationis deſplicentiam habuerit, vel nullam.

Q. Quomodo quis peccare poteſt contra caſtitatem? *R.* non tantùm qui aliquam ex dictis ſpeciem luxuriæ committit actu, ſed etiam qui delectatur obſcænis, & qui ſe exponit periculo peccandi.

Q. Quid eſt periculum peccandi. *R.* eſt aliquod inducens & diſponens ad peccatum. Aliud eſt *Remotum* ſeu occaſio peccati remota, & eſt illa, quæ non habet infallibilem connexionem cum peccato.

cato. *Alia occasio est proxima*, quæ ordinariè inducit ad peccatum, & multi homines existentes in hoc periculo peccârunt. Pericula remota in materia luxuriæ sunt. Cibi, potus calidi, otium, vestium luxus, lectio turpium, incustodia sensuum &c. *Proxima sunt* cohabitatio: & conversatio privata cum diverso sexu. Qui versantur in hac occasione proxima peccandi carnaliter, non debent absolvi nisi amoveant has occasiones, aut firmiter promiserint amotionem.

Q. Quæ sunt Filiæ Luxuriæ? *R.* 8. scilicet Cæcitas mentis, præcipitatio, quâ per concupiscentiam luxuriæ impeditur actus 2dus rationis, qui est consilium 3. Inconsideratio qu a per luxuriam 3tius rationis actus impeditur scilicet judicium de agendis. 4. Inconstantia. 5tus amor sui, 6. odium Dei 7. affectus præsentis sæculi. 8. Horror futuri sæculi, quia dum nimis carnalibus delactationibus detinetur, contemnit, & fastidit Spirituales.

Q. Quæ danda sunt remedia contra Luxuriam. *R.* 1. Devota & frequens oratio, hoc enim genus Dæmoniorum non ejicitur nisi per Orationem, & Jejunium. 2. perfecta humilitas, & subjectio erga Deum, Custodia oculorum, commendanda est fuga otii, & occasionum. 4. Corporis Castigatio, novissimorum recordatio 5. Præsentia DEI & SS. Angelorum menti firmiter impressa 6. Abstinentia a potu calido. 7*mo*. maximé inter hæc, frequens Confessio coram uno eodemq; Confessario, & SSmæ Eucharistiæ sumptio.

Q. Quæ prohibentur nono Præcepto? R. omnis concupiscentia carnis etiam mentalis.

Q. Cur speciali Præcepto vetatur *R.* quia multi

multi putare poterant prava desideria, & concupiscentiam non prohiberi.

Q. Qualis concupiscentia vetatur *R.* non præcipitur, ut non sentiamus concupiscentiæ motus, sed tantùm ne illis consentiamus.

De 8vo Præcepto.

Q. Estne grave peccatum, dare falsum Testimonium? *R.* est sanè, & unum inter ea, quæ Deus maximè detestatur.

Q. Quotupliciter quis dicit falsum testimonium contra suum proximum? *R.* dupliciter. 1mo extrajudicialiter, dicendo mendacium, & imputando alicui delictum scienter, quod revera in eo non est. 2. Iudicialiter ut si testis in judicio dicat falsum, vel Iudex non juxta legem & rationem pronuntiet, Notarius addat, vel minuat aliquid causæ. Si Advocatus eandem causam magis criminet, quam est in se, exagerando, addendo &c.

Q. Quid est mendaciũ. *R.* est quædã testificatio seu assertio falsi scienter ad decipiendũ proximũ. *Dixi scienter*, quia si quis dicat falsum putans esse verum, non est mendacium; sicut è contra, si quis dicat verum putans esse falsum, est mendax, ex prava voluntate. Est autem mendacium triplex: Perniciosum in damnum alterius, jocosum ob delectationem & Officiosum ob utilitatem.

Q. Petrus amisit quoddam Instrumentum publicum & legitimum *vg.* testamentum &c. an peccet graviter si aliud simile privatim conficiat. *R.* in foro externo præsumeretur falsarius, quia de veritate non constat, in foro autem conscientiæ, aliqui eum excusant etiam à veniali.

Q. Quid præterea hoc Præcepto prohibetur? *R.* detractio: quæ est famæ alienæ injusta diminutio,

nutio, vel denigratio. Differt à Contumelia, quæ eſt honoris alieni injuſta violatio, quæ eſt adinſtar rapinæ, apertê contra præſentem. Detractio verò ut plurimum eſt contra abſentem, adinſtar furti.

Q. Quotuplex eſt Detractio? R. duplex *Formalis* ſeu directa quæ fit ex intentione famam alterius lædendi. *Materialis* quæ fit ex levitate, loquacitate, & inadvertentia. Variis modis poteſt fieri detractio. 4tuor directis quos exhibet hic verſus.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens
Et itidem indirectis.
Qui negat, aut minuit, reticet. laudatq́; remiſſè

Imponens id eſt qui imponit falſum. *Augens* dictis malè factum *Manifeſtans* alterius occultam ignominiam. *qui aſſerit* bona proximi fieri malâ intentione. *qui negat* bona vel talenta alterius. Qui tacet ex invidia cum alter laudatur, vel impedit illum. qui laudat alterum, Hi omnes committunt detractionem.

Q. Quô adhuc poteſt quis nocere famæ proximi. R. famoſo libello, ſuſpicione &c.

Famoſus libellus eſt, cùm quis ex invidia ſcriptis ſcommaticis alterius famam lædit, aut denigrat. Contra Diffamatores famoſo libello eſt Excommunicatio latæ ſententiæ, & contra imprimentes, divulgantes aliis. *Judicium temerarium* eſt, cùm quis ex malitia abſq́; ſufficienti fundamento judicat malum de proximo. Ad hoc ut ſit mortale. 4tuor requiruntur conditiones. 1. ut ſit materia gravis. 2. ut judicium formetur tanquam moraliter certum. 3. ut judicium ſit ex levibus conjecturis. 4. ut judicium ſit plene deliberatum.

Non obligat ad restitutionem, cùm sit actus internus, nisi manifestetur exterius. *Opinio* est assensus de malo proximi hæsitans & formidolosus non absolutè, sed cum formidine in oppositum.

Contumelia est cùm verbis vel signis æquipollentibùs violatur, & læditur honor alicujus præsentis, & dividitur in *Convitium*, dum vitium, vel etiam defectus naturalis objicitur alteri cum ejus dedecore: *In improperium* quod idem est, quod contumelia. *In irrisionem*, quo quis absens, vel præsens risui exponitur. *Illusio* est quô quis ludibrio exponitur. *subsannatio* quâ quis objicitur irrisioni per gestus corporis vel motus. *Maledictio* quâ quis imprecatur malum alicui. *Murmuratio* est quâ quis factum aliquod publicum, quod posset in bonam partem accipi, in malam accipit.

Q. Si quis coram iis quibus fuit occultum manifestet crimen alicujus notum, & verum, teneturne ad restitutionem. *R.* non tenetur, sed tantùm peccat contra charitatem. Idem dicendum est de audiente detrahentem.

Q. Qui publicè famam abstulit, num publicè tenetur restituere. *R.* affirm: quia fama resarcienda est ad æqualitatem.

Q. Quæ causæ excusant à restitutione famæ? *R.* Si inpossibile sit id restituere *vg.* si diffamatus procul à me abest. 2d) si mihi, diffamatus à me condonavit (si potuit condonare) nam aliquæ Personæ non possunt suam condonare calumniam, quando ex condonatione sequetur scandalum. 3. si locutus fuerim talibus, qui id jam noverunt. 4. si famam aliô modô restitui. 5. si id quod diffamavi, oblivione sit deletum, & ampliùs ei non nocet. 6. si restituendo propriæ famæ jacturam

ćturam pati deberem. 7. si delictum occultum, quod dixi, fiat aliâ viâ publicum 8. si is cui detraxi mihi pariter detraxerit, nec restituere velit.

Q. Peccatne qui injuriam ab aliquo sibi illatam refert amico. *R.* affirm: si fiat animo detrahendi, ut se hoc modo ulciscatur, peccat, si autē, ut consolationem recipiat, saltem non mortaliter. Less: Azor. Idem tenendum quando referuntur mala aliorum ad majorem audientium cautelam, ne scilicet corrumpantur peccatis aliorum.

De 7mo & 10mo Præcepto.

Q. Quæ comprehenduntur sub hoc Præcepto? *R.* Ius, Justitia, contractus, furtum.

Q. Quid est Ius? *R.* Ius variè sumitur. 1. pro lege de qua superiùs. 2. pro Dominio &c, Estq; potestas legitima ad aliquam rem obtinendam vel retinendam.

Q. Quotuplex est Ius? *R.* Aliud est Ius *in re* & est illud quod per ipsam rei traditionem acquiritur. Aliud Ius *ad rem* & est illud quod aliquô justô titulô habetur ad rem, ut ejus traditio fiat.

Q. Quid est Dominium. *R.* est facultas disponendi de re tanquam sibi subjecta. Et est duplex *Jurisdictionis* quod est potestas gubernandi sibi subditos. Aliud *proprietatis* & est facultas de re aliqua disponendi tanquam sua.

Q. Quid est justitia? *R.* est constans & perpetua voluntas jus suum unicuiq; tribuendum. Alia est *legalis* quæ inclinat ad observantiam legum, quæ sunt ad bonum commune ordinatæ. Alia *distributiva* quæ inclinat ad distribuenda subditis bona communia juxta proportionem meriti. Alia *commutativa* quæ inclinat ad ponendam, & conser-

conservandam æqualitatem rei ad rem inter bona privata privatorum. Alia *Vindicativa* quæ respicit æqualitatem pænæ cum delicto.

Q. Ex qua justitia si fuerit læsa, oritur obligatio restituendi? *R.* ex Iustitia commutativa. Unde si læsio sit contra Charitatem, aut aliam virtutem non obligat ad restitutionem, imo neq; obligat justitiâ Distributiva læsa, nisi sit ei annexa justitia commutativa.

Q. Quid sit Præscriptio seu usucapio. *R.* Est acquisitio Juris, vel Dominii in rem alienam per possessionem bonâ fide, & cum titulo, & tempore debito continuatam.

Q. An per præscriptionem acquiritur etiam Dominium in foro conscientiæ *R.* affirm:

Q. Quæ conditiones requiruntur ad præscriptionem *R.* 1. Bona fides. 2. Titulus. 3. Res apta præscribi. 4. Possessio continuata per tempus à jure statutum.

Q. Quid circa bonam fidem notandum venit. *R.* bona fides hic est conscientia bona, vel judicium practicum, saltem probabile, quod res, quã incipio possidere, sit mea, seu quod hic, & nunc alteri non facio injuriam rem talem tenendo.

Hinc si res apud me essent depositæ, & fierem hæres deponentis, nescirem esse meam, quamvis longissimo tempore apud me esset, non præscriberem, quia non haberem veluti meam, ad præscriptionem enim requiritur scientia, & voluntas habendi rem tanquam suam, seu habendi jus aliquod in eam.

Q. Quid circa Titulum notandum est. *R.* per titulum intelligitur causa ex se habilis ad transferendum Dominium, uti est Solutio, Emptio, Do-

nat io,

natio, Permutatio, Hæreditas, Legatum, Adjudicatio per ſententiam &c.

Q. Quid circa res vitioſas, ſeu non aptas præſcribi, notandum eſt R. res aliquæ ſunt non aptæ præſcribi, vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione Juris, ſic enim præſcribi non poſſunt res ad cultum Dei conſecratæ, uti Calices, Templa &c. cum ſint Dei, qui cenſetur ſemper poſſidere per ſuos miniſtros. Item res publicæ, quales ſunt viæ, plateæ, pontes &c. quia nemo ſeorſim poteſt eorũ eſſe Dominus, quia ſunt omnium.

Q. Quid circa continuationem temporis ad præſcribendum requiſiti, notandum eſt. R. Tempus aliud dicitur *breve* in Jure quod eſt infra 10. annos. Aliud *longum* 20. Annorum. Aliud *longiſſimum* quod eſt ſaltem 30. annorum.

De Contractibus.

Q. Quid eſt Contractus? R. eſt pactum duorum, quo ſcienter, liberè, & legitimè ſe uterq; viciſſim, vel ſaltem una pars alteri acceptanti obligat ſigno aliquo externo.

Q. Quotuplices ſunt Contractus? R. Alii ſunt abſoluti, Alii conditionati, Expliciti & impliciti quorum explicatio patet ex terminis.

1. *Contractus* alius eſt ſtrictè talis, eſtq; conventio facta voluntate propriâ eorum, qui poſtea obligantur & aliter definitur. Pactum obligans ex Juſtitia commutativa. 2. Et quaſi *contractus* eſtq; conventio facta voluntate alterius, qui ſupplet pro voluntate illius, qui poſtea obligabitur, uti ſi Tutor contrahat pro pupillo &c. *Contractus* alius eſt *Oneroſus* per quem utriq; contrahenti imponitur onus, dîciturq; etiam mutuus, reciprocus. Alius *lucrativus*, per quem ſolum modo uni

contra

contrahentium imponitur onus, uti eſt donatio acceptata, quæ ſolum donatorem obligat ad extradendum Donatario. Alius fit in gratiam, ſolius recipientis, uti mutuum. Alius in gratiam ſolius dantis, uti Depoſitum. Alius in gratiam utriusq; contrahentis uti Emptio.

Contractus alius dicitur *nudus*, qui conſiſtit in nudo pacto, uti promiſſio, emptio venditio, cenſus, Cambium &c. Alius *veſtitus*, qui præter pactum habet aliquid quo firmatur vg. Juramentũ, vel ſubſcriptionem &c. Alius eſt *nominatus* qui habet proprium nomen, uti venditio, emptio &c. Alius *innominatus* qui non habet proprium nomen, ſed venit nomine generali conventionis pacti &c. Poſſunt autem contractus Innominati fieri variis modis uti: *do ut des*, *facio ut facias*, *facio ut des; do ut facias*. Fieri etiam poſſunt oppoſitis modis: *do ut non facias; non facio, ut facias; facio, ut non facias*.

Q. Quæ ſunt ſpecies contractuum nominatorum. *R.* variæ. 1, *Promiſſio* Eſtq; actus, quo quis ſponte, & liberaliter pollicetur alteri aliquid dare, vel facere, non obligat autem ante acceptationem, etiamſi ſit facta Eccleſiæ, niſi ſit facta Deo per modum voti, quæ obligatio, ex alterius partis conſenſu dependet, nec obligat promiſſio mere interna, quia contractus obligatorius debet eſſe ſignis externis expreſſus.

2da *Donatio* Eſtq; datio liberalis, ſeu translatio Dominii alicujus rei non debitæ ex juſtitia in alium. Conditio impoſſibilis, aut turpis ei appoſita, habetur pro non adjecta.

Q. Donatio non ſolùm acceptata, ſed etiam tradita, quando revocari poteſt? *R.* 1. ob Enormem

mem ingratitudinem Donatarii, Etiamsi fuerit jurata. 2. Causa mortis facta, ante mortem potest revocari, uti Testamentum, legatum &c. quia includit implicitam conditionem: nisi revocetur.

3tio *Mutuum* Estq; contractus quo res aliqua constans pondere, & mensura à mutuante transfertur in mutuarium cum Dominio, ita tamen ut mutuarius eandem rem & similem specie & bonitate restituat mutuanti mutuum est sæpe in rebus consumptibilibus.

4ta *Commodatum* est quó usus alicujus rei alicui gratis conceditur, sine translatione Dominii, qui usus si precibus petentis conceditur dicitur Precariũ.

5to *Depositum* est quo aliquid alteri custodiendum traditur sine usu rei, sive cum pretio sive sine pretio.

6ta *Locatum* est quo alicui traditur usus alicujus rei, sine translatione Dominii ad tempus, sed adhibito aliquo pretio annuatim solvendo. Qui dictum usum rei *vg.* domûs concedit, dicitur Locator, qui eum recipit, dicitur Conductor.

7ma *Emphyteusis* Est contractus rei immobilis, cujus tantum Dominium utile, seu indirectum transfertur in accipientem, retentò directò apud concedentem, cum pacto certæ pensionis proprietario annuatim solvendæ, in recognitionem Dominii directi. Qui accipit, dicitur Emphyteuta, qui concedit, proprietarius.

8va *Feudum* Est contractus, quo res immobilis alicui conceditur, quoad Dominium utile, cum onere exhibendi fidelitatem, & obsequium personale Domino directo. Feudatarius seu Feudi acceptor, vocatur Vasallus, qui si non præstat obsequium & fidelitatem promissam, amittit Feudum.

9na

9na *Pignus* Eſt contractus, quo rem debitor dat ſuo Creditori aliquam, præcipuè mobilem, hucusquè quousquè non reddet debitum.

10ma *Hypotheca* Eſt ſimilis pignori, ſolum differt per hoc, quod per hypothecam dantur res ſemper immobiles, & ſic in jure dicuntur ſæpe: Bona hypothecata

11ma *Uſura* Eſt contractus, & eſt lucrum proveniens ex mutuo, pretiô, & pecuniâ æſtimabile, id eſt, quando mutuans aliquid ſuper ſortem exigit, & prætendit. Et hic contractus ab omni jure eſt prohibitus.

Q. Exigendi lucri in mutuo, qui ſunt juſti tituli? *R.* 1. Damnum emergens ex mutuo 2. Lucrum ceſſans.

12ma *Cambium* Significat permutationem pecuniæ, & eſt contractus quo unus campſor alteri ſcilicet: Campſario cambit, ſeu permutat pecuniam cum lucro aliquo propter ſortem. Cambium fit variis modis. 1. quando mutatur pecunia major pro minori, & è contra, vocaturque cambium mutuum, ſeu manuele. 2. quando campſor accipit pecunias hic, quas refundit *vg.* Romæ, ſcribendo ad ſuos Fautores, vocaturquè Cambium per literas. Quidquid ſupra ſortem ex cambio accipitur, non eſt uſura, ſi fiat ex conſvetudine Patriæ, vel loci.

13tia *Emptio & Venditio* Eſt contractus conſtans reciproco conſenſu mercis pro pretio, & pretii pro merce.

14ta *Monopolium* Eſt quo unus vel plures mercatores inter ſe propria Authoritate conveniunt, ut coemendo merces certi generis, eas cariùs divendant, efficiendo, ut vix alibi inveniri poſ-
ſint.

ſint. Eſt injuſtum, & obligat ad reſtitutionem damni tam ementibus, quàm aliis mercatoribus.

15ta *Negotiatio* Eſt, quando quis rem, aut res comparat ſibi eô animô, ut eas vendat cariûs, vel permutet cum aliquo lucro.

16ta *Sponſio* Eſt contractus duorum, vel plurium, qui de eventu rei certant vel veritate rei invicem promittentes aliquid, ita ut qui vicerit res promiſſa illius ſit. Hæc ut licita ſit tres conditiones requiruntur. 1. Ut fiat ſuper re dubia & eventu dubio. Si verò unus ſponſionem fecit de re & eventu tali quem ſcit infallibiliter, peccat quia alium decipit & ſponſio nulla eſt niſi adverſarius acceptet. 2. Ut ſit æqualitas in re quæ ſpondetur. 3. Ut uterq; eodem ſenſu accipiat.

7ma *Ludus* Eſt contractus quo ludentes inter ſe conſtituunt ut Victori cedat quod uterquè deponit aut præſentat aut committit. Tam ſponſiones, quam ludi ſunt contractus liciti dummodo non ſit ſcandalum, finis malus, quare in ſponſione prohibetur quoquè dolus.

18. *Contractus Societatis* eſt, cùm multi aliqui ineunt ſocietatem & contribuunt pecuniam pro comparandis mercibus & tandem damnum vel lucrûm proveniens ex negotiatione juxta proportionem damni vel lucri inter ſe dividunt.

19. *Aſſecuratio ſeu Fidejuſſio* Eſt contractus quando quis rei alienæ periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe, quod in caſu rei perditæ, aut non exhibitæ ſolicitudinis, ipſemet Fidejuſſor pro principali ſolvet aut rem reddet.

Q. Quo firmatur contractus? R. Promiſſione, Juramento, Fidejuſſione, Hypotheca, vel pignore.

Q. Contractus validus quomodo obligat?

R. Obligat in conſcientia, & ſi læditur, etiam ad reſtitutionem. Si autem obligatio tantum eſſet ex Charitate, aut ex quavis alia honeſtate non pertinente ad juſtitiam commutativam, non obligaret ad reſtitutionem.

Q. Quomodo contractus redditur invalidus? R. 1. Si contrahentes ſunt inhabiles, aut ſi eis reſiſtat jus poſitivum. Unde invalide contrahunt Religioſi, Filii ſub Patris poteſtate exiſtentes, uxores, furioſi, prodigi, pupilli.

2. Si contractus celebretur ſine ſolemnitate ſubſtantiali à lege requiſita, ſub clauſula irritante, imò tunc contractus eſt invalidus etiamſi fuerit initus cum ignorantia ſolemnitatis. Hinc matrimonium contractum cum impedimento dirimente etiam ignorato eſt nullum.

3. Contractus initi cum metu gravi, injuſtè incuſſo, ſunt jure naturæ invalidi, quia ſi contractus cum metu initus eſſet validus, tunc ex injuſtitia oriretur juſtitia, quod implicat.

De Furto.

Q. Quid eſt furtum? R. Eſt occulta, & injuſta rei alienæ acceptio vel detentio, invitô rationabiliter Domino.

Q. Furtum quale eſt peccatum? R. Ex genere ſuo eſt mortale, niſi parvitas materiæ aliquando excuſet.

Q. Quæ quantitas requiritur in furto ad peccatum mortale? R. id conſiderandum ex variis circumſtantiis perſonarum, graviùs enim peccat, qui pauperi, quàm diviti florenum furatur. Iam verò ſi quis rem talem furetur, ex qua alter vivit, tunc & ſi res ſit parva, tamen ad circumſtantiam commodi, aut victûs, erit mortale.

Q. An

Q. An liceat aliquando furari? *R.* ordinariè non licet, nisi in extrema necessitate, quia sola extrema necessitas facit rem alterius communem.

Q. An famulus occultè Domino surripiens ad compensandam operam suam, quam majorem judicat solario, quod recipit excusetur à furto? *R.* Negativè, contraria est damnata ab Innocen: XI.

Q. Utrum in aliquo saltem casu licebit famulo sibi compensare? *R.* Licebit. 1. si invitus fuerit à Domino coactus, dolo, minis &c. ad serviendum pretio minori infimo justo. 2. Si Dominus pretium minus solvat, quam fuerit in pacto conventum. 3. si Dominus salarium solvat non in pecunia, sed in aliis rebus quibus non eget, & quas cogitur vendere viliori pretio. 4. si Dominus ultra famulatum super quo facta est conventio, alium extraordinarium imponat, qui distincto Salario solet conduci. *Dixi de famulatu extra ordinario* nempè de tali qui à persona distincta, & pretio distincto fieri solet, quia sunt plures ordinarii famulatus, qui ultra conventum à famulis gratis præstare solent Dominis, adeoquè non possunt licitè de illis sibi resarcire. *Ita Felix Potestas.*

Q. Quot sunt species furti? *R.* Si res sacra injustè accipiatur, est *sacrilegium*; si possessio spectans ad rempublicam: *peculatus*; si grex dispersus: *abigeatus*, si homo ut venundetur: *plagium* &c.

De Restitutione.

Q. Quid est restitutio? *R.* Est actus justitiæ, quo reparatur ad æqualitatem damnum proximo illatum per injuriam.

Q. Quis tenetur restituere? *R.* tenetur restituere

tuere, quicunquè fuit causa injusta acceptionis. Præterea qui ad injuriam concurrens quocunquè modo, qui modi his versibus exprimuntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

1. *Jubens* qui tenetur, quando ex sua jussione secuta est actio injusta. Sed ratum tantum habens, quod ipsius nomine factum est, non tenetur ad restitutionem.

2. *Consulens* efficaciter, ita ut ex consilio tali moveatur quis ad perpetrandum actionem injustā, si effectus secutus sit.

3. *Consentiens* sine cujus consensu non sequeretur actus: secùs si sine tali consensu fuisset secutus.

4. *Adulator* quando ex laudatione & adulatione tanquam ex causa, vel concausa sequitur effectus.

5. *Est Receptor talium.* Est enim causa maleficii præbendo eis securitatem, & custodiam prædæ. Unde fures animosiùs & securiùs furantur.

6. *Est participans* malam actionem, ut comes, mediator, vel qui alteri in crimine participat, quando est concausa injustæ acceptionis. Isti 6. modi ad damnum & injustitiam alterius, dicuntur positivi, adeoquè qui uno ex dictis modis vel pluribus cooperantur ad damnum proximi, tenentur ad restitutionem. Reliqui 3. modi dicuntur negativi, scil: *Mutus* cum non clamat, cùm possit, *non obstans* id est non impediens damnum. *non manifestans* id est, qui non revelat furtum. His modis negativis, qui concurrunt ad damnum proximi, non tenentur ad restitutionem, nisi aliunde obligationem haberent vg. quia sunt servi vel custodes.

Q. Cui restituendum? *R.* illi, cui damnum illatum est, qui si mortuus est, hæredibus, & legitimis successoribus, uti Uxori, Liberis, si nec liberi sunt, tunc pauperibus, vel Ecclesiæ.

Q. Quo tempore est restituendum? Eô, quô quis commodè poterit, nec restitutio differenda est ad mortem.

Q. Quod si quis in restituendo habeat periculum vitæ vel infamiæ? *R.* tunc non tenetur, sed debet quærere modum, & industriam personæ alterius *vg.* Confessarii, per cujus manus restituat absquè periculo.

Q. Dum quis dubitat de damno per se illato alteri, an tenetur restitutionem? *R.* non tenetur, si dubium sit probabile, nam in dubiis melior est conditio possidentis.

Q. An pro omnibus bonis injuriatis tenemur ad restitutionem? *R.* 1. 3plicia numerantur bona hominis propria. 1. Ex parte animæ. 2. Ex parte corporis. 3. Ex parte famæ. Bona iterū animæ possunt dici 2plicia. Physica & moralia. *Physica* sunt Intellectus, voluntas & memoria. Item sensus interni & externi. *Moralia sunt* habitus recti, virtutes, conscientia recta seu pura. His præmissis ad quæstionem.

R. 2. Qui aliquem injuriavit in bonis physicis scil: animæ *vg.* si illum injuriavit, seu privavit usu rationis, memoriâ voluntate per veneficia, vel mutilationem peccat tantûm sed non tenetur ad restitutionem, quia bona hæc nullo pretio sunt æstimabilia, tenetur tamen ad restitutionem bonorum temporalium, quæ ex privatione alicujus sensûs, aut potentiæ amittuntur.

R. 3. Qui nocuit in bonis Corporalibus *vg.*

occidendo, membrum mutilando, etiam pro his non tenetur ad restitutionem, Ratio est eadem, quia nihil æquale potest restitui, sed solum tenetur ad damnum ex occasione *vg.* ex mutilatione proveniens.

R. 4. Qui nocuit in bonis moralibus *vg.* inducendo ad peccatum tenetur ad Pænitentiam, ad bonos mores inducere, nisi quis nolit spontè desistere à peccato.

Q. Quæ causæ à restitutione excusant? *R.* 1. Vera inopia debitoris, seu impotentia. 2. si injuriatus suam condonavit injuriam. 3. Rei debitæ perditiò, tunc tamen alia æquivalens subroganda est. 4. si judex declaravit debitorem non teneri ad restitutionem. 5. Religionis ingressus *vg.* si negotiando vel laborando non posset restituere debita, potest tunc relictis omnibus creditori, ingredi religionem. 6. Compensatio, si eâ uti potest debitor, & prætendit justè. 7. si non potest restitui, absquè periculo vitæ, vel infamia. 8. Solutio creditori creditoris. 9. Damnum creditoris reipublicæ, vel 3tii. 10. Ratione usu capionis seu præscriptionis, de qua vide superius. 11. si in aliquo alio æquivalenti restitutum est creditori.

Q. Quotuplex est culpa ex qua oritur obligatio restituendi? *R.* 3plex 1. Dicitur *Lata* quã communiter homines supinè negligentes committunt *vg.* relinqitur liber accomodatus in porta domûs, vel extra domum, est culpa lata si pereat. 2. *Levis* dum homo non facit diligentiam, quam homines mediocriter diligentes faciunt *vg.* relinquitur liber in cubiculo, sed ostio aperto. 3. *Levissima* est dum homo non facit diligentiam,

quam

quam faciunt homines ſuis rebus bene invigilantes *vg.* relinquitur liber in cubiculo, clauſo quidem, ſed non obſerato

De Judicio.

Q. Quid eſt Judicium? *R.* Eſt actus legitimus in quo diſcutiuntur, & judicantur publicè litigantium, & reorum cauſæ.

Q. Quid eſt jurisdictio? *R.* Eſt poteſtas de publico introducta in bonum Reip: & publicam utilitatem.

Q. Quis poteſt dare jurisdictionem ordinariã? *R.* Lex, vel Canon, Papa, conſvetudo, & Communitas approbata.

Q. Quas qualitates Judex habere debeat? *R.* debet eſſe ſapiens, prudens, juſtus & gravis. &c.

Q. Judex debetne auferre appellationes & defenſiones partibus? *R.* Nunquam, nec diabolo, ſi litigaret, nec debet facere alias vexationes appellantibus, quia appellatio eſt jure naturali, & propria defenſio rei, cui de jure faciendum eſt. Abb: num: 89.

Q. Qui non poſſunt eſſe Judices? *R.* de jure mulier, infamis, ſervus, qui non ſunt ſui juris, furioſus. ebrius, infans, & omnes illi, qui à jure privati ſunt omnibus honoribus.

Q. Dum Judex ſcit aliquem eſſe innocentem, num tenetur eum liberare? *R.* omnibus modis debet curare, ut liberetur, vel dextere examinando teſtes, vel protrahendo judicium vel remittendo ad ſuperiorem, vel aperiendo carcerem ſi ſine ſcandalo poſſit, vel deponendo perſonam judicis, & aſſumendo perſonam teſtis. Si autem nullo modo poſſit eum liberare, an poſſet eum conde-

minare secundum allegata & probata, alii negant, alii probabilius affirmant. *Alloiz.*

Q. Cum utraque opinio est probabilis, quam judex potest sequi? *R.* quam maluerit, sed reo favorabilior, & benignior est præferenda.

Q. An judex tenetur sequi sententiam probabiliorem, relicta minùs probabili? *R.* affir: contraria est damnata ab Inn: 11.

Q. Quæ sunt obligationes Judicis? *R.* 1. servare processum juridicum. 2. sententiam non differre in damnum, vel fraudem litigantium. 3. Personas non respicere, nec munera, sed justitiam.

Q. Quid est Notarius? *R.* Est persona publica causas & controversias, & ipsum Decretum judicis ad acta connotans.

Q. Quæ sunt Notarii obligationes? *R.* 1. Debet omnia pertinentia ad Acta fideliter sub peccato connotare. 2. Debet fideliter extradere decreta. 3. non debet detinere causarum expeditiones, nec aliquid supra jura Cancellariæ extorquere. 4. Juris solemnitates servare debet.

Q. Quæ sunt conditiones Advocati seu Patroni seu Procuratoris? *R.* 1. Scientia. 2. Fidelitas. 3. Timorata conscientia. Obligationes ejus sunt: 1. ut non suscipiat causam ad defendendũ, quam scit esse injustam. 2. non debet diffugia adinvenire in damnum adversæ partis, nec sui Principalis. 3 non plus justô à suo Principali extorquere debet.

Q. Quæ sunt obligationes Rei? *R.* tenetur fateri crimen suum si à legitimo judice interrogatur. 2. Tenetur latam contra se sententiam acceptare si est justa, si injusta potest ab illa appellare.

Q. Quæ

Q. Quæ requiruntur in Teſtibus? R. 1. Ut de eodem crimine, vel cauſa, de iiſdem circumſtantiis teſtentur. 2. Ut intelligant, & ſciant de quo teſtantur. 3. Ut habeant has dotes, quæ ſequentibus exprimuntur verſiculis.

Conditio, Sexus, Ætas, diſcretio, fama,
Et Fortuna, Fides, in teſtibus iſta requires.

Id eſt ratione *Conditionis* Plebs, ſervi; Ratione *Sexûs* mulieres, Ratione *Ætatis* 20. annorum. Ratione *famæ* infames. Ratione *fortunæ* pauperes. Ratione *Fidei* perjuri rejiciuntur à teſtando. Tandem Conſangvinei, Amici, Domeſtici, Liberi, Laici in cauſa criminali contra Clericos, Judæi contra Chriſtianos, Hæretici contra Catholicos teſtari non poſſunt. Qui falſum perhibet teſtimonium peccat mortaliter, imo ſi à falſo teſtimonio ſequitur proximo damnum, tenetur ad reſtitutionem.

CAPUT III.

De Præceptis Eccleſiæ.

Q. Quid præcipitur 2do præcepto? R. præcipitur ut omnis Fidelis non impeditus poſt completum uſum rationis ſub peccato mortali in diebus Feſtis Miſſam audiat taliter, ut moraliter cenſeatur eſſe præſens illi ſacrificio, etiamſi interdum non audiat vocem Sacerdotis, nec illum videat, ſufficit autem unum Sacrum audiri tantùm, etiam in die Nativitatis Domini. Sunt aliqui DD. qui audientes miſſam ab Offertorio excuſant à mortali. Lay: &c. Ad ſatisfaciendum huic præcepto requiritur intentio ſaltem virtualis.

Q. Si quis devotionis causâ audiret Sacrum cum animo adimplendi præceptum per aliud Sacrum,

crum, poteftnè poftea mutare voluntatem, & fatisfacere Præcepto per prius illud Sacrũ. *R. Affirmativè* fi tamen ipfe putaret fe non fatisfeciffe per illud Sacrum & teneri ad illud audiendum, & non audiret, peccaret ex confcientia erronea.

Q. An fatisfacit præcepto Ecclefiæ de audiendo Sacro qui duas ejus partes imo quatuor fimul à diverfis celebrantibus audit? *R.* Neg: nam affirmativa damnata eft ab Inno: XI.

Q. Qui audit dimidiam Miffam ab uno Sacerdote & aliam dimidiam ab alio disjunctim fatisfacitne præcepto? *R.* Alii affirmant, alii probabiliùs negant cum fint duæ partes Miffarum non una Miffa. *Alloz.*

Q. Dum Confeffarius affignat pro certo Fefto duas Miffas pænitenti, num fatisfaciat, fi fimul duas Miffas audit? *R.* communior fententia eft negativa. *Alloz.*

Q. Qui excufantur ab auditione Miffæ? *R* impeditus fpiritualiter, ut excommunicatus, interdictus, peccant tamen non procurando abfolutionem. Famuli occupati ab heris fuis, modò herus ob Ecclefiæ contemptum eofdem non occupet, in quo cafu non tenentur obedire. Iter facientes qui audiendo Miffam focios neceffarios amitterent. Infirmi ac eifdem infervientes, nutrices, cuftodes arcium, longè diftantes ab Ecclefia, fi infolitæ fuerint nives, aut pluvia &c.

Q. An qui tempore Præfationis venit ad facrum audiendum, quod unicum eo die celebratur, teneatur audire faltem reliquam partem fequentem? *R.* Affir: quia à confecratione usquè ad Communionem inclufivè continetur effentia Sacrificii, cui reliquæ partes funt tantum acceffo-

riæ, & integrantes; cum ergo principale non sequitur accessorium, sed è contra, planè deducitur illum teneri audire istius Missæ partem reliquam, quæ est omnino principalis. *Moya. Sua: Sancti &c.*

De 3tio Præcepto Ecclesiæ.

Q. Quid est jejunium? *R.* Est abstinentia ciborum ad carnis vitia comprimenda peccatorumq; pænas expiandas, & mentes in Deum excitandas.

Q. Quotuplex est jejunium? *R.* 2plex *naturale* quod frangitur cujuscunq; rei sumptione. Tale jejunium requiritur ad sumendam Eucharistiā, vel celebrandum, incipitq; à media nocte.

Q. Quid est jejunium Ecclesiasticum, & à quo institutum? *R.* Est vetitorum ciborum certis temporibus abstinentia, & est institutū ab Ecclesia.

Q. A quo ætatis anno incipit obligatio jejunandi? *R.* à 22. incæpto. Qui autem dubitat an expleverit 21. annum, vel an non hodie sit jejunium non tenetur jejunare, tenetur autem interrogare.

Q. In quo consistit jejunium? *R.* 1. In quantitate, hoc est semel de die tantùm comedere ad satietatem. Vespere potest sumi modica refectio. Unde si quis bis ad satietatem comederet, peccaret mortaliter.

2*do* In qualitate, hoc est abstinere se ab Esu carnium, & lacticiniorum.

3*tio* In certa hora comestionis, quæ est circa meridiem, nisi aliud consvetudo loci ferat.

Q. Quæ jejunia continentur in hoc præcepto? *R.* Jejunium Quadragesimæ, Quatuor temporum. Vigilia Nativitatis Dñi, S. Joan. Bapt. S. Laurentii. Assumptionis B. V. Aliæ vigiliæ Festorum B. V. M.

B. V. M. ex consvetudine solùm quoad jejunium servantur. A Paschate ad Vigiliam S. Joan. Bapt: exclusive in omnibus vigiliis & jejuniis tunc occurrentibus etiam 4. temporibus permittitur usus Lacticiniorum in Polonia (exceptis feriis 6tis in quibus jejunium consvetum sine lacticiniis observari debet) ubi etiam tunc lautior conceditur cæna.

Q. An sæpius in die bibendo violetur præceptum? *R.* non, quia tantùm comestio prohibetur.

Q. Quæ causæ excusant à jejunio? *R.* Dispensatio, impotentia, labor & pietas. Propter *impotentiam* excusantur qui sine magno damno jejunare non possunt, uti prægnantes, pauperes, qui unam comestionem sufficientem non habent, Senes 60. annos habentes. Ob *laborem* excusantur Agricolæ, iter agentes pedites, &c. Ob *pietatem* excusantur Concionatores, Cantores, Confessarii assidui. *Alloz.*

De 4to & 5to Præcepto.

Q. Quando tenemur Confiteri? *R.* quilibet fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, sub mortali confiteri tenetur semel saltem in anno, maxime tempore Paschali, quodsi tunc non faciat, debet postea, ut verum sit quod confiteatur semel in Anno.

Q. An & quando tenemur præcepto Divino confiteri? *R.* 1. in articulo aut periculo probabili mortis. 2. Si prævideat postea non habiturum copiam Confessarii. 3. Si sit in mortali, & velit communicare.

Q. Quotuplex est Communio? *R.* 2plex 1. Spiritualis quæ est manducatio Spiritualis Eucharistiæ, quæ fit ore cordis, per recogitationem

fidei,

fidei, & affectionem Charitatis. 2. Communio Sacramentalis, quæ est manducatio Corporalis Eucharistiæ, quæ fit ore corporis.

Q. Quis est effectus S. Communionis? R. 1. Dat per se augmentum gratiæ, per accidens verò aliquando dat gratiam 1mam sanctificantem, ut si quis bonâ fide putans se esse in gratia, revera non est, accedat cum attritione ad hoc Sacramentum recipit 1mam gratiam, & peccatorum remissionem. 2. Dat auxilia ad vitandum peccata, ad resistendum tentationibus, & concupiscentiam refrænat. 3. Delet venialia.

Q. Quâ pænâ puniuntur transgredientes hoc 4tum præceptum Ecclesiæ? R. Viventes arcentur ab Ecclesia, mortui privantur sepulturâ Ecclesiasticâ. Verùm hæc sunt ferendæ tantùm sententiæ.

CAPUT IV.

De Virtute.

Q. Quid est Virtus? R. 2dum S. Aug: Est qualitas mentis quâ rectè vivitur.

Q. Quotuplex est virtus? R. Alia *naturalis* quæ perficit hominem in suo esse naturali: ut scientia, fortitudo &c. Alia *supernaturalis* quæ perficit hominem in ordine ad gratiam acquirendam. Virtus supernaturalis alia est.

Infusa quæ à Deo animæ hominis communicatur. Alia *acquisita* quæ ex repetitione actuum bonorum in anima generatur. Dividitur in *Theologicam* quæ tendit in Deum, & eum habet pro objecto immediato, uti sunt: Fides, spes &c. Et in *moralem* quæ ordinatur ad mores hominis rectè componendos.

Q.

Q. Quid & quot ſunt virtutes Cardinales? *R.* ſunt illæ in quibus quaſi in cardine ſtabiliuntur virtutes morales. Sunt autem 4. Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo.

De Peccato.

Q. Quid eſt peccatum? *R.* Eſt transgreſſio legis Divinæ naturalis vel ſcriptæ.

Q. Quomodo dividitur peccatum? *R.* Aliud *Originale.* Eſt privatio juſtitiæ ac ſanctitatis ex pacto cum Adamo facto omnibus ejus poſteris in ſua conceptione transmiſſa. Aliud *Perſonale* Eſt voluntarius receſſus à regula Divina ab homine perſonaliter admiſſus, quod dividitur in peccatũ commiſſionis & omiſſionis.

Peccatum *commiſſionis* eſt transgreſſio legis negativæ: ut occidere *omiſſionis* Eſt transgreſſio legis affirmativæ: Ut honorare Parentes.

Immediatè dictæ ſpecies ſubdividuntur in peccatum *veniale* Eſtq; libera transgreſſio legis leviter obligantis Et *mortale* quod occidit animam privans vitâ ſupernaturali ſcil. gratiâ. Tam veniale quam mortale aliud eſt *habituale* eſtq; macula in anima relicta ex præterita commiſſione peccati. Aliud *actuale* eſtq; ipſa formalis comiſſio peccati.

Eſto omnia peccata ſint contra Deum nihilominus aliqua ſpecialiter ſunt contra Deum, quæ immediatè Divinam Charitatem lædunt, ea ſunt omnia, quæ opponuntur virtutibus Theologicis ut hæreſis, deſperatio &c.

Alia ſunt ſpecialiter contra proximum, quæ immediatè Charitatem proximi lædunt, uti furtũ, homicidium &c. Alia ſunt ſpecialiter contra ipſum peccatorem, quæ immediatè propriam charitatem lædunt: *vg.* Gula &c.

Q.

Q. Quomodo peccatum & vitium diſtingvitur? *R.* ſicut actus & habitus. Vitium enim eſt quaſi quidam habitus, ſeu conſvetudo peccandi.

Q. Quid procedit à peccato? *R.* à mortali procedit reatus pænæ æternæ; à veniali verò, reatus pænæ temporalis.

Q. Quid eſt Reatus? *R.* Eſt effectus ex peccato relictus, quo peccator manet ligatus apud Deum ſolvendi delicti ſui pænam.

Q. Quomodo adhuc dividuntur peccata? *R.* Alia ſunt *cordis* quæ interiùs conſumantur, ut hæreſis &c. Alia *oris* quæ locutione perficiuntur, ut mendacium &c. Alia *operis*, quæ opere complentur.

De peccatis Capitalibus.

Alia ſunt peccata Capitalia ex quibus tanquam ex radice procedunt alia peccata actualia. Hæc dividuntur in *Spiritualia*, quæ mentis potiùs delectatione complentur, quam corporis, ut ſuperbia, avaritia &c. Et in *Carnalia* quæ corporis potius, quam mentis delectatione complentur: ut Luxuria.

Q. Quid eſt ſuperbia? *R.* Eſt appetitus inordinatus propriæ Excellentiæ.

Q. Quotuplex eſt ſuperbia? *R.* 2plex *Interior* cum ſe homo aliis in ſua æſtimatione præfert, & appetit laudari, vel dolet, quod alii laudantur. Et *exterior* quando quis ſe ornat, extollendo ſe ſuper alios, & contemnendo eos, qui non habent talem ornatum.

Q. Quot ſunt ſpecies ſuperbiæ? *R.* 4. 1. cū bonum quod quis habet à ſe habere exiſtimat. 2. Cum exiſtimat ſe id, quod à Deo habet, pro ſuis meritis habere. 3. Cum ſe jactat habere

quod non habet. 4. Cùm despectis cæteris singulariter videri appetit habere, quod habet. Superbia ex genere suo est peccatum mortale.

Q. Quæ sunt Filiæ superbiæ? R. Inobedientia, Præsumptio, Ambitio, Contemptus aliorum, Hypocrisis, Iactantia, Discordia, Curiositas Pertinacîa, Contentio, Vana gloria, & Infidelitas.

Q. Quid est Hypocrisis? R. Est simulatio virtutis, seu sanctitatis, quam homo non habet.

Q. Quid est Præsumptio? R. Est appetitus aggrediendi aliquid supra proprias vires.

Q. Quid est ambitio? R. Est inordinatus appetitus honoris & dignitatis.

Q. Quid est avaritia? R. Est inordinatus appetitus divitiarum, vel bonorum temporalium, cui opponitur prodigalitas, quæ est excessivus usus bonorum temporalium. Avaritia, ex genere suo est peccatum mortale, ut opponitur justitiæ. Ut vero est immoderatus appetitus propriarum divitiarum, in iis delectando, & ut opponitur liberalitati, est solum ex genere suo veniale.

Q. Quot sunt Filiæ Avaritiæ? R. 7. Proditio, Fraus, Fallacia, Perjurium, Inquietudo. Violentia, Obduratio, seu immisericordia.

De Luxuria dictum superiùs.

Q. Quid est invidia? R. Est tristitia de alterius bono & est ex genere suo peccatum mortale. Filiæ ejus sunt: Odium, Susurratio Detractio, Exultatio in adversis, & Tristitia in prosperis. De susurratione dictum ubi de Charitate.

Q. Quid est Gula? R. Est inordinatus appetitus cibi vel potûs.

Q. Quot sunt species Gulæ? R. 5. quæ exprimuntur hoc versu.

Properè,

Properè, lautè, nimis, ardenter, & ſtudioſe.

Propere Eſt appetendo comeſtionem ante tempus. *Lautè* quærendo cibos delicatiores. *Nimis* ſumendo in quantitate. *Ardenter* non ſervando modeſtiam in edendo. *Studiosè* quærendo cibos nimis accuratè præparatos.

Q. Quæ ſunt Filiæ Gulæ? *R.* multiloquium, ſcurrilitas, ebrietas, hebetudo mentis, Immunditia, & inepta lætitia &c.

Q. Quid eſt ſcurrilitas? *R.* eſt verborum, ſeu geſtorum minus honeſtus uſus, ad riſum excitandũ.

Q. Quid eſt Ebrietas? *R.* eſt mentis hebetudo ex potu exceſſivo cauſata, quâ homo ratione ad tempus privatur: ex natura ſua eſt peccatum mortale.

Q. Quid eſt ira? *R.* Eſt inordinatus appetitus vindictæ, quæ ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ex qua procedunt rixæ, maledictio, blaſphemia, duella &c.

Q. Quid eſt acedia? *R.* Eſt animi tædium in exercitio virtutum, ſecundùm genus ſuum eſt peccatum mortale, cujus Filiæ ſunt malitia, rancor. puſillanimitas, faſtidum rerum Spiritualium, evagatio mentis &c.

De peccatis in Spiritum Sanctum.

Q. Quid eſt peccatum in Spiritum Sanctum? *R.* Eſt oblatam Dei gratiam quæ Spiritui S. ceu fonti bonorum omnium tribui ſolet, peculiariter ex malitia contemptim abjicere.

Q. Quot ſunt peccata in Spiritum S.? *R.* 6. 1. *Præſumptio de miſericordia Dei* eſt inordinatus conatus ſpei quâ expectat quis per miſericordiam Dei id quod ſecundùm legem Dei ordinariam non eſt poſſibile vg. remiſſionem peccatorum absque

 pæni-

pænitentia. 2. *Desperatio* quando quis abjicit spem de sui emendatione, peccatorum remissione. 3. *Impugnatio agnitæ veritatis* tunc est quando quis post propositum fidei, vel bonorum morum doctrinam, impugnat eam, volens persvadere eam esse fallam 4. *Invidentia fraternæ Charitatis*, est dum quis tristatur ex hoc, quod gratia Dei crescat in mundo. 5. *Obstinatio* Est firmum propositum inhærendi peccato propter aliquam delectationem. 6. *Impænitentia* quæ non significat permanentiam in peccato usquè ad mortem, sed importat propositum non pænitendi.

Q. Quot sunt remedia contra peccata in Spiritum S.? *R.* 6. spes de misericordia Dei. Timor de Divina justitia. Cognitio veritatis fidei, & bonorum morum. Auxilium Divinæ gratiæ. Dolor de peccato commisso, & propositum abstinendi à peccato.

Q. Quæ sunt peccata in Cælum clamantia? *R.* 4. Homicidium voluntarium. Sodomia, oppressio pauperum, & merces operariorum defraudata. Nomine pauperis intelligitur non tantùm miserabilis persona *v.g.* Advena pupillus, subditus, servus, sed etiam quicunquè est inferioris conditionis respectu excellentioris. Nomine oppressionis, intelligitur quæcunquè afflictio.

Q. Quare hæc peccata dicuntur in Cælum clamantia? *R.* quia præ cæteris manifestam improbitatem habere noscuntur, Divinamquè ultionem citò accersunt iis, à quibus committuntur.

Q. Quot modis peccata aliena nobis imputantur? *R.* 9. Consiliô. jussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentiâ culpæ alienæ, conniventiâ, vel indulgentiâ, rei alienæ participatione, & pravâ facti alieni defensione. CA

CAPUT V.

De prærequisitis ad primam Tonsuram.

Q. Habetnè animum Clericandi? *R.* habeo.

Q. Quid est habere animũ Clericandi? *R.* Est velle Deo servire & Ecclesiæ in hoc statu spirituali servando castitatem perpetuam, & curando propriam & proximorum salutem.

Q. Ordinandus in Clericum debetnè habere Spiritum Ecclesiasticum. *R.* omnino.

Q. In quo consistit hic Spiritus? *R.* in ubertate gratiæ, quâ mediante cum svavitate facilè, & libenter peraguntur ministeria Ecclesiæ.

Q. Quæ sunt signa hujus Spiritus? *R.* 1. si quis æstimat statum suum super omnes dignitates. 2. Qui libenter peragit functiones Ecclesiasticas etiam minimas. 3. Qui gestat externè signa suæ vocationis, uti est: Tunica talaris, Corona, capilli breves. 4. Qui magnum Zelum habet & laborat fortiter ad restituendam disciplinam Ecclesiasticam.

Q. Quomodo conservandus est hic Spiritus? *R.* per orationem, per librorum Spiritualium lectionem, per conversationem cum bonis, & devotis spiritualibus personis.

Q. Quænam requiruntur ad 1mam Tonsuram? *R.* 1. Ad validam receptionem Tonsuræ requiritur voluntas recipiendi. Usus rationis, masculus omnino baptizatus. Jure Divino excluduntur mulieres à Ministerio Altaris, & absolutè sunt incapaces Ordinis, & Tonsuræ.

Q. Utiquè leguntur fuisse Presbyterissæ, Diaconissæ? *R.* Harum aliæ deputatæ sunt cum ali-

qua fortè benedictione, ad Homilias in Officio Monialium recitandas, aliæ uxores virorum in Diaconos Presbyteros Episcopos ordinatorum, quæ ab illis separatæ, cælibem vitam ducebant. Aliæ ut mulierum necessitatibus prospicerent.

Q. Quid ad licitam susceptionem Primæ Tonsuræ requiritur? *R.* legitima ætas saltim 7. annorum, ut sit confirmatus, ut non sit irregularis, vel alio impedimento Canonico irretitus, ut legere, & scribere sciat, ut testimonium probitatis habeat.

Q. Peccaretnè si quis non confirmatus reciperet Tonsuram? *R.* probabilius est quod tantùm venialiter quia *Trid:* non videtur id graviter præcipere.

Q. Irregularis potestnè accipere Tonsuram? *R.* non potest licitè, quia sicut est incapax Ordinis, ita etiam dispositionis ad ordines. *Zuar.*

Q. Cur ad 1mam Tonsuram requiritur immunem esse ab irregularitate, cum irregularis solùm, arceatur per Sacros Canones ab Ordinibus inter quos Tonsura non numeratur? *R.* quia prima Tonsura est janua, & dispositio ad Ordines, per quam tonsuratus gaudet ptivilegiis Clericalibus, sitquè idoneus ad Ecclesiastica Beneficia, ideo graviter peccat cum irregularitate suscipiens, siquidem tentat fieri idoneus ad prædicta contra Ecclesiæ voluntatem.

Q. Fitnè irregularis qui Tonsuram recipit Censurâ, irretitus. *R.* non.

Q. Tonsura debetnè præcedere Ordines? *R.* debet necessitate Præcepti, non Sacramenti. Unde qui reciperet Ordines omissâ Tonsurâ, valide esset ordinatus, nec amplius teneretur ad Tonsuram,

Q. An

Q. An Episcopus extra suam Diœcesim potest subditis suis conferre primam Tonsuram? *R.* Probabilius est quod possit, cùm non sit Ordo. *Bon. Dian. cum aliis 4.*

De essentialibus Tonsuræ.

Q. Quid est prima Tonsura? Est assumptio Personæ in Clericum, sive deputatio ad canendū in Ecclesia, & ad ejus obsequium, sine tamen ullius ministerii potestate.

Q. Cur vocatur prima Tonsura? *R.* quia ante omnes Ordines primò confertur, dicitur Tonsura, quia in ea tonduntur capilli.

Q. Quis instituit primam Tonsuram? R. Apostolorum Princeps S. Petrus primus omnium hunc morem induxit. *Bellar.*

Q. Tonsura estnè Ordo? *R.* non. Unde nec imprimit characterem, sed solùm est dispositio ad Ordinis Sacramentum. *S. Thom.*

Q. Tonsura fuitnè figurata in lege veteri? R. fuit figurata in Nazaræis, qui crine præcisi Divino cultui consecrabantur. *Num.* 6.

Q. Habetnè certam materiam & formam? R. Cum non sit Ordo & Sacramentum verâ materiâ & formâ non indiget. Habet tamen materiam impropriè talem: Abscissionem capillorum, Et locò formæ, verba: ab Episcopo pronunciata: *Dominus pars &c.*

Q. Qui est calvus, & tondi nequit, estnè capax Tonsuræ? *R.* Utiquè quia cùm Tonsura non habeat veram materiam, & formam, sufficiet eandem cæremoniam, quantùm fieri potest adhibere cum calvo, quæ adhibetur cum capillatis.

Q. Quid significat sectio capillorum? *R.* 1. Submissionem & servitutem, cui se tradit pro

Chriſto, & Eccleſia. 2. Amputationem deſideriorum, pravorum habituum &c.

Q. Ob quam cauſam raditur Corona Clericis? R. Tribus de cauſis 1*mo* in memoriam coronæ, quæ contexta ex ſpinis Salvatoris Noſtri capiti impoſita fuit. 2*do* ad declarandam regiam dignitatem, quâ præfulgent ii qui deputantur ad cultum Dei, cui ſervire regnare eſt. 3*tio* ad ſignificandam perfectionem vitæ â Clericis ſuſeeptam, figura enim orbicularis eſt omnium perfectiſſima.

Q. Quid eſt Corona? *R.* Eſt ſignum diſtinctivum Clerici à Laico, raditur in capite, ad oſtendendam mentis eminentiam illius, qui tali ſigno decoratur.

Q. Quantæ latitudinis debet eſſe corona? R. in Minoribus Ordinibus exiſtentibus ſufficit, ſi ſit tanta, quanta eſt particula Communicantibus diſtribui ſolita, in aliis verò major, ſimilis hoſtiæ magnæ, quæ ad Miſſæ Sacrificium ſervit.

Q. Quid ſignificat cereus accenſus quem Tonſuratus portat in manu? *R.* ſignificat quòd Tonſuratus debet eſſe lumen Eccleſiæ per ſuam dodoctrinam, & exemplum, & quòd debet incendere quemlibet amore in Deum per fervorem ſui Zeli.

Q. Cur induitur Tonſuratus ſuperpelliceo? R. ad demonſtrandum novum vitæ genus quod ſuſcipit, 2*do* Candor hujus veſtis denotat puritatem cordis, & corporis, quam habere debet accedens ad Tonſuram.

De Clericatu & illi annexis.

Q. Unde deſumitur hoc nomen Clericus, & quid ſignificat? *R.* deſumitur à voce Græca Cleros, quæ translata ad Idioma Latinum, idem eſt,

ac

ac fors, vel hæreditas. Tonsuratus dicitur Clericus, quia deputatus ad inserviendum Ecclesiæ ex officio est ad sortem, & hæreditatem Domini vocatus.

Q. Tonsurâ initiatus, gaudetnè aliquo privilegio? R. Gaudet privilegio Fori, & Canonis, & fit capax Beneficii Ecclesiastici, sivè curati, sive simplicis.

Q. Quid est privilegium Fori? R. Est immunitas, & exemptio à Foro sæculari, quare in manibus Laici non possunt jurare Tonsurati, nisi ab Episcopo licentiam habeant, quam tamen in criminalibus dare non potest, nec possunt se subjicere Judici Laico, nequè ab eo examinari, & judicari.

Q. Quid est Privilegium Canonis? R. Est ut si quis suadente Diabolo Clericum percusserit, sit excommunicatus, si percusio pertingat, sive læsio honoris, ad culpam mortalem, incurritur Excommunicatio Papæ reservata, secus Episcopo reservatur. Si tamen Clericus non incedat in habitu, & Tonsura, & qui eum percutit ignoret ipsum esse Clericum, non est excommunicatus, & percussori asserenti cum juramento se ignorâsse Clericatum illius, credendum est.

Q. Recipiens Tonsuram tantùm ex intentione fugiendi forum sæculare, vel ob accipiendum Beneficium peccatnè? R. *cum Homoto*: ad primum peccaret venialiter, quia habet inordinatam intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ. R. ad 2dum cum eodem peccaret mortaliter, gravem enim facit injuriam statui Clericali, & pervertit in re gravi intentionem Ecclesiæ.

Q. Peccatnè recipiens Tonsuram in mortali

R. peccat venialiter, cum enim Tonſura, neque ſit Sacramentum, neque gratiam producat, proinde non committit tantam irreverentiam, quæ peccato mortali ſit damnanda. Ex alia parte indecens eſt Dei inimicum inter Dei ſervos adſcribi.

Q. Quæ ſunt obſervanda à Clericis? ut comam non relaxent, aut nutriant quia hoc Anathemate prohibitum eſt in pluribus Conciliis, licèt Provincialibus ſed Authoritate Apoſtolica approbatis *Uti Rom. Mogun. Barit.*

2*do* Ut Tonſuram in modum circuli, & coronæ geſtent in capite. 3*tio* Ut deferant veſtes Talares, ſed non ex ſericis diverſi coloris ut definitum in Nicæn. 2. 4*to* Ut Eccleſiæ ſerviant, in eaque cantent. 5*to* debent benedicere menſam &c.

Q. Quæ ſunt Clericis ſpecialiter prohibita? R. 1*mo* Ut mercaturam non exerceant, nec ulla officia ſæcularia, nec conducant poſſeſſiones, nec ſæcularibus procurationibus ſe immiſceant. 2*do* Ut privilegiis ſuis non renuntient, cum nec poſſint. 3*tio* ne nimium aleæ, & aliis prohibitis luſibus deſerviant, nec interſint mimis, hiſtrionibus, tabernas evitent, niſi in itinere, à choreis abſtineant, ex quibus ſæpè in populo grave oritur ſcandalum. 4. ne arma ferant, nec annulum niſi ratione dignitatis. Mulieribus non cohabitent, neque ullo modo familiariter converſentur cum iis, & à clamoſis venationibus abſtineant. &c.

De prærequiſitis ad Minores Ordines.

Q. Quæ requiruntur ad validam ſuſceptionem Ordinum? R. ea omnia quæ ad 1mam Tonſuram, & inferius adhuc dicenda.

Q. Qui prohibentur à Jure ordinari? R. Illegitimi.

Q. Qui

Q. Qui nam sunt illegitimi? *R.* 1. sicut non omnes nati ex junctis Matrimonio, sunt legitimi, ita non omnes illegitimi, qui ex non junctis matrimonio, nascuntur. Si conjugatus fiat Sacerdos vivente uxore, de ejus consensu, etiam ipsâ faciente votum continentiæ, si postea maritus accedat eam, proles nata censetur illegitima, & irregularis, quamvis verum fuit matrimonium, quia ex sacrilego concubitu nata Econtra, quando aliqui in facie Ecclesiæ contraxerunt bonâ fide, & postea lis orta est super validitate matrimonii, etiamsi per sententiam declaratum sit invalidum matrimonium, Filii tamen qui ante sententiam nati, aut concepti sunt, censentur legitimi.

2do Si quis vivente uxore malâ fide contrahit cum altera ignorante: Filii censentur legitimi, secus si cum sciente de altera uxore. Unde & si postea mortuâ primâ uxore contrahat cum illa secunda, seu si ratificet matrimonium, Filii non legitimantur.

3tio Non omnis ex simplici fornicatione natus, est illegitimus: nam natus ex soluto & soluta, qui fornicariè se cognoverunt, postea contraxerunt matrimonium, habetur talis pro legitimo, nec est irregularis.

4to Illegitimi ergo sunt qui ex illicito concubitu, sive publico, sive occulto tali orti sunt, nec per subsequens matrimonium legitimati; nec omnes spurii, nec omnes naturales; sed naturales Filii vocantur illi, qui sunt geniti à Parentibus, qui tempore conceptionis, aut nativitatis matrimonio jungi poterant. Spurii verò è contra illi,

qui

qui geniti sunt à Parentibus, inter quos Matrimonium dicto tempore esse non poterat. Unde si uterquè conjunx, vel alter solùm, post matrimonium ratum, ritè contractum ante consumationem illius ad religionem transeat, & in ea profiteatur, si postea se cognoscant, & Filium generent, talis Filius est spurius, quia per professionem matrimonium nondum consummatum, est dissolutum, & amplius inter eos esse non potest. secus si hoc contingeret tempore Novitiatûs, nam Filius natus ex tali copula esset legitimus, cum adhuc matrimonium perseveret validum ante professionem.

Si nasceretur autem ex Patre, habente impedimentum aliquod solùm impediens, vel ex constituto in Minoribus Ordinibus cum soluta, talis esset Filius naturalis, quia hi contrahere potuerunt.

Hi omnes illegitimi, quicunquè illi sunt, & quantumvis occulti, irregulares sunt. Unde illegitimus sine dispensatione suscipiens Ordinem peccat mortaliter, & suspensus est ab executione ejus, non tamen novam incurrit irregularitatem.

Q. An Illegitimi, à Regibus legitimati possunt suscipere Ordines? *R.* non possunt, quia tales solùm legitimantur ad hæreditates, dignitates sæculares &c.

Q. An illegitimus occultus indiget dispensatione? *R.* indiget, quam tamen dare potest Episcopus.

Q. An infantes expositi censentur legitimi? *R.* Alii affirmant, alii probabilius negant: præsumptio enim sumitur ex his, quæ frequenter contingunt.

Q. Quis potest dispensare in spuriis cæterisque illegitimè natis? *R.* Episcopus solùm potest, ut ad Ordines Minores, & ad beneficia simplicia promoveri queant, ad Curata autem, & dignitates solus Pontifex dispensat.

Q. An Hermafroditus ordinari potest? *R.* Hermafroditus est ille in quo sexus uterquè reperitur, tale monstrum ordinari non potest, si in tali prævaleret sexus fæmineus, ordinaretur invalide. Si verò prævaleret sexus virilis, validè quidem, sed illicitè ordinaretur. Si post susceptos ordines fieret mutatio, in eo, quod fæmineus prævaleret sexus, non posset validè consecrare, nec absolvere, licèt in anima Character Ordinis remaneret.

Q. Qui adhuc prohibentur ordinari? *R.* 1. Ignoti. 2. bis baptizati, cum sint irregulares, & si scienter sunt bis baptizati indigent dispensatione Papali, si verô ignoranter, Episcopali. 3. Bigami, Bigamia est iteratio matrimonii consummati, seu divisio carnis in duas successivè uxores, inducit irregularitatem ex defectu significationis Sacramenti, quô Christus cum unica sponsa Ecclesia conjungitur.

Q. Quotuplex est Bigamia? *R.* 3plex. 1. *vera* si re ipsâ cum duabus uxoribus consummavit matrimonium, sive ante, sive post susceptum Baptismum. 2. *Interpretativa*, ut si quis in uxorem ducat, & cognoscat viduam, à priori viro cognitam, aut etiam non viduam, sed prius corruptam ab alio. 3. *Similitudinaria*, si Clericus in sacris constitutus, vel Religionem professus cum virgine invalide contrahat matrimonium, eamquè cognoscat. Omnes hi Bigami sunt irregula-

res,

res, & prohiberetur ſuſcipere Tonſuram, & Ordines, & in ſuſceptis miniſtrare.

Q. Qui adhuc prohibentur ordinari? *R.* Neophyti, corpore vitiati, homicidæ, per homicidam intelligitur omnis voluntariè occidens alium, vel ſe mutilans, item Judex, Lictor, mandans, conſulens, infirmos ut citiùs moriantur, vertens; non verò id faciens bonâ fide. Prohibentur aleæ, ebrietati. gulæ aut impudicitiæ dediti. *c. ut Cleri; crapula.* Item uſurarii. Simoniaci, Sacrilegi &c. *c. Clerici de vita & hon.*

De Ordinibus in genere.

Q. Quid eſt Ordo? *R.* eſt ſignatio, ſeu cæremonia ſacra, quâ ordinato traditur poteſtas ſpiritualis circa Euchariſtiæ in Miſſa tractationem.

Q. Quid eſt Cæremonia Sacra? *R.* Eſt actus externus Religionis, Myſterium aliquod denotans.

Q. Differtnè Ordo ab ordinatione? *R.* differt quia ordinatio eſt ſignum ſenſibile ſacrum, quod conſiſtit in porrectione certæ materiæ cum quadam verborum forma, conferens gratiam, & poteſtatem circa Corpus Chriſti verum, ſeu phyſicum, in ordine ad Corpus Xti Myſticum; Ordini verò, convenit dicta definitio immediatè

Q. Quid eſt Corpus Chriſti verum, & quid Myſticum? *R.* Primum eſt: SS. Euchariſtia, Secundum eſt: Eccleſia id eſt congregatio fidelium.

Q. Quot ſunt Ordines? *R.* quatuor, Minores; tres Majores; vocantur Minores ideo, quia minorem obeunt functionem in ſacrificio miſſæ, quam Subdiaconi, Diaconi, & Preſbyteri, quibus majora incumbunt officia, & votum continentiæ annexum eſt, dicuntur ſacri, quia per illos

ordi-

ordinati habent facultatem tangendi res ſacras.

Q. Suntnè ſinguli Ordines Sacramentum? R. ſunt, & quamvis ſint 7. Ordines & ſinguli ſint Sacramenta, non tamen plura, ſed unum ſunt Sacramentum unitate finis, & perfectionis, quia omnes referuntur ad Sacerdotium, & in eo perficiuntur. *S. Tho.* in 4. diſt. Bellar.

Q. Cur tam multi in Eccleſia conſtituti ſunt Ordines? *R.* 1. ut Dei ſapientia magis commendetur. 2. Ut pluribus remediis humana adjuvetur infirmitas. 3. Ut via perfectionis latiùs pateat.

Q. Quisnam inſtituit Ordines? *R.* Chriſtus Dominus, qui etiam determinavit materiam & formam Ordinum, cæremonias tamen, & alia ſervanda in decenti illorum collatione, Eccleſia præſcripſit.

Q. Quomodo Chriſtus Dominus materiam, & formam Ordinum inſtituit, cùm alia ſit apud Græcos, alia apud Latinos? *R.* Chriſtus Dominus inſtituit pro Ordinum materia rem ſignificantem poteſtatem, quam ordinatus accipit in ordinatione, & pro forma, verba quæ exprimant collationem poteſtatis ei communicatæ ab Epiſcopo, & hæc immutabilia ſunt; modus autem exprimendi talem poteſtatem potuit ab Eccleſia variari. Variatio enim illa eſt accidentalis non ſubſtantialis.

Q. Quis eſt Miniſter Ordinis? *R.* ſolus Epiſcopus, ex diſpoſitione tamen Summi Pontificis poteſt ſimplex Sacerdos conferre Minores Ordines juxta alios Subdiaconatum, & Diaconatum.

Q. Quæ ætas requiritur ad ſuſcipiendos Ordines? *R.* Pro tribus Minoribus Ordinibus ſeptem completi, pro Acolythatu 12. completi, pro Subdiaconatu 22. pro Diaconatu 23. pro Sacerdo-

tio 24. completi. Pro Episcopatu 30. completus, si ultimus dies ætatis sit inchoatus, potest quis ordinari, quia in favorabilibus dies inchoatus habetur pro completo.

De essentia Sacramenti Ordinis.

Q. Quæ sunt essentialia Sacramenti Ordinis? *R.* materia, forma, & intentio, tam in ordinante, quam in ordinando.

Q. Quid intelligit per materiam, & quid per formam? *R.* materia est res sensibilis quæ datur ordinato ad tangendum denotans aliquam potestatem in Ecclesia. Forma sunt verba Episcopi quæ pronuntiantur in traditione hujus rei.

Q. Quotuplex est materia? *R.* 2plex *Remota*, scilicet res, quæ porrigitur ab Episcopo. Et *Proxima*, scilicet ipsa porrectio rei.

Q. Quomodo quis debet tangere, materiam? *R.* Tactu Physico verò & reali sufficiet autem unico etiam digitô tangere quia hoc ipso verificatur verus contactus Physicus imo juxta nonnullos sufficit tangere ungvibus, cum & hi sint pars manûs.

Q. Quando sunt plures materiæ remotæ, est nê necesse singulas tangere? *R.* in praxi tutiùs est singulas tangere, probabilissimum tamen est sufficere contactum alterutrius, dum per modum unius porriguntur.

Q. Requiriturnè contactus immediatus? *R.* Certum est non requiri contactum immediatum omnium omnino materiarum necessariarum, siquidem vinum in calice existens pertinet ad materiam necessariam Presbyteratûs, nequè tamen vinum tangendum est immediatè. cum ergo una materia in alia continetur, non est necesse eam tangere, qui enim tangit continens, etiam contentum tangere censetur. Imo *Bon*: docet verè

etiam tangi materiam manu obvoluta chirothecô.

Q. Requiriturnè ut materia & forma fint fimul, ut valide conferatur Ordo? R. Requiritur in omnibus Sacramentis ut pro aliquo inftanti phyfico fimul fint fufficit etiam exiftentia moralis, nimirum: ut adhibita materia, ftatim proferatur & forma, & viciffim.

Q. Quid eft Intentio? R. Eft actus voluntatis quo fe aliquis determinat ad aliquid faciendum. Eft autem 3plex *Actualis* eft actus voluntatis feu volitio actualis hic & nunc aliquid facere. 2*do* *Virtualis* eft volitio antecedens opus aliquod non retractata, perfeverans in actibus ordinatis ad idem opus vg. dum baptizaturus elicit intentionem, tandem diftrahitur aliis cogitationibûs, interim parat tamen neceffaria ad baptifmum, intentio ejus licet præteriit, manet tamen virtualiter in his actionibus præparatoriis.

Differt actualis à virtuali quia 1ma perfeverat in fe 2*da* vero folùm in effectibus. 3. *Habitualis* eft habitus & facilitas faciendi aliquam rem ex confvetudine eo modo quo quandoquè etiam faciunt dormientes. *Alii explicant fic habitualem* per hoc quod actualis intentio jam à multo tempore elicita, non fit retractata, & duret in fuo habitu, fic vg, elicit quis hodie baptizandi intentionem, tandem multis diftrahitur negotiis, multa alia peragit non ordinata ad Baptifmum, illa intentio erit folum habitualis, quia in nulla actione, ad finem ordinata manebit; & folùm poteft dici exiftere moraliter, in quantum non eft retractata. Ab aliquibus affignatur & 4*ta* fpecies intentionis fcilicet *Interpretativa* quando aliquid intenditur non perfe, fed in caufa. vg. fi quis fciens fe in ebri-

etate

etate mala facere, inebriat se, non intendendo illud malum actuali intentione, dicitur tamen intendere, quia eo ipso quod intendit causam, intendit & effectum interpretativè. Alia intentio est explicita, alia implicita, alia directa, alia indirecta, quæ clara est in terminis.

Q. Qualis intentio requiritur ad valorem Sacramentorum? *R.* actualis est optima, sufficit virtualis. Habitualis verò, & interpretativa nunquam.

Q. Sufficitnè ad valide suscipiendos Ordines externè seriò accedere ad Altare ante Episcopum, licèt in corde proponat sic: non intendo facere id, quod facit Ecclesia? *R.* negativè, contraria sententia damnata ab Alex: VIII.

Q. Requiriturnè ad valorem ut recipiat Ordines gradatim, primo inferiores, deinde superiores? R. negativè, sed ordinatus per saltum, est validè ordinatus, requiritur tamen, ut recipiat ordinem, quem antea non receperat. Hinc si quis susciperet Presbyteratum ante Diaconatum susceptum, valide consecraret hostiam.

Q. Ordinatus per saltum ad Majores, validenè ministraret in Minori, quem nondum susceperat? R. affirmativè, quia constitutus in gradu superiori, potest ea omnia, quæ potest constitutus in gradu inferiori.

Q. Quamnam pænam incurrit ordinatus per saltum? *R*, suspensionem, si susceptum Ordinem per saltum non exercuit, potest cum eo Episcopus dispensare, ut omissum suppleat, & ad altiores promoveatur. Si exercuit, debet pro dispensatione ad Pontificem recurri.

Q. Ut

Q. Ut validè quis ordinetur, an sufficit in subjecto baptismus flamminis? *R.* & si dictus Baptismus sit, verè Baptismus attamen non est Sacramentum, proindè invalidè ordinaretur tali Baptismō baptizatus.

Effectus Sacramenti Ordinis.

Q. Qui sunt effectùs Sacramenti Ordinis? R. 1. Spiritualis potestas ministrandi in certo gradu, & jus faciendi aliquid circa Eucharistiam. 2. Character. 3. Collatio gratiæ sanctificantis. 4. Collatio certorum auxiliorum congruè, & debitè officium cujusvis ordinis exequendum.

Q. Potestnè Ordo bis recipi, seu iterari? R. non quia imprimit Characterem.

Q. Quid est Character? *R.* Est signum indelebile in anima impressum in receptione Sacramentorum non iterabilium: scil: Baptismi Confirmationis & Ordinis.

Q. Quando confertur Character? *R.* in ipsa applicatione materiæ, & pronuntiatione formæ.

Q. Conferturne à singulis Ordinibus Character? *R.* affirmativè (& ab habentibus duplicem partialem materiam, & formam, duplex partialis character non confertur, sed unicus in contactu materiæ dignioris) quia singuli Ordines diversa sunt Sacramenta collativa diversæ potestatis, quam character significat, ubi ergo diversæ potestates significandæ sunt, diversa etiam dantur signa.

Q. Sacramentum Ordinis potestne conferre Characterem non conferendo gratiam sanctificantem? *R.* affirmativè, quia Ordo licèt non possit suscipi licitè, & cum fructu, quando quis est in peccato mortali, potest tamen suscipi validè, & eo ipso Character imprimitur.

 Q. Cur

Q. Cur Character poteſt ſtare cum peccato, ſecus gratia ſanctificans? R. Character non habet ſibi contrarium, per quod tollatur, gratia verò cum ſit formalis ſanctitas, & amicitia cum Deo non poteſt ſtare cum peccato ſibi contrario, remoto autem obice, ſeu peccato, gratia tunc confertur.

Quis Epiſcopus proprius.

Q. Quibus modis efficitur quis ſubditus Epiſcopo? R. 3*bus* Ratione Originis, Beneficii, & Domicilii.

Q. Quis eſt Epiſcopus loci, ſeu originis? R. quo ad Ordines, eſt is, in cujus Diæceſi Parentes ſuſcipientis Ordines, dum is natus eſt, domicilium habuerunt.

Q. In Diæceſi, in qua natus eſt Pater, Filius ratione originis poteſtnè ordinari? R. poteſt *Pias: Prax: Ep.*

Q. Filius naturalis poteſtnè ordinari in Diæceſi, in qua natus eſt Pater. R. non, ſed in qua nata eſt Mater, talis enim Matrem ſequitur. *idem.*

Q. Quis eſt Epiſcopus Domicilii? R. Eſt Epiſcopus Diæceſis, in qua ordinandus ſedem fixit, cum animo ibi perpetuo habitandi, niſi eam deſerere cogatur.

Q. Quot modîs acquiritur domicilium, quo ad effectum Ordinationis? R. 3*bus* 1. Origine. 2. Lege. 3. Habitatione. Lege acquiritur domicilium per Principis privilegium ſtatutum, adeptionem dignitatis, aut Prælaturæ in loco.

Q. Quando acquiritur Domicilium habitatione? R. primo horæ quadrante, quô quis incipit habitare in aliquo loco, animô manendi ad mortem. Unde Studioſi licèt 10. annis morentur

tur in ſcholis abſolvendis, quia non habent animum manendi, non poſſunt in eo loco ordinari, ſi ſint extra propriam Diæceſim.

Q. Poteſtnè 2plex domicilium habitationis quis habere? *R.* Poteſt, quando conſtanter ita jam in hoc, jam in illo loco moratur, ut cogitet totam vitam, partim in hoc, partim in illo loco, tranſigere.

Q. Poteſtnè Epiſcopus ordinare ſervientem ſibi ratione Domicilii? *R.* poteſt, niſi talis priùs acceperit aliquos Ordines ab Epiſcopo ſuæ originis, vel ab Epiſcopo in cujus Diæceſi habet Beneficium, vel ſi Ordinatus fuerit ad Titulum Patrimonii, tunc neceſſariò requiritur expreſſa licentia illius Epiſcopi.

Q. Si quis habeat Patrimonium in una Diæceſi, & in alia Domicilium vel Originem, à quo Epiſcopo poteſt Ordinari? *R.* Ab Epiſcopo Originis, vel Domicilii, quia ratione Patrimonii non efficitur quis ſubditus. *Ugol:*

Q. Poteſtnè Epiſcopus ordinare alium ſubditum? *R.* poteſt cum dimiſſoriis, ſecus ſi faciat, manet ſuſpenſus per annum, & Ordinatus quoadusquè proprio Epiſcopo videbitur, ſuſpenditur.

Q. Quæ nam dicuntur literæ dimiſſoriæ? *R.* illæ quibus datur alicui poteſtas ſuſcipiendi Ordines ab alio Epiſcopo. Poteſt autem dare dimiſſorias ſummus Pontifex omnibus Chriſtianis, tanquam Generalis Epiſcopus totius mundi. 2. Proprius Epiſcopus ſuis ſubditis, ſive ſit Epiſcopus Originis, ſive Domicilii, ſive Beneficii. 3. Vicarii generales in abſentia Epiſcopi è Diæceſi. 4. Capitulum ſede vacante &c.

Q. An qui à proprio Epiſcopo accepit dimiſſorias,

missorias, ut à certo Episcopo nominatim expresso ordinetur, possit licitè ab alio Episcopo Ordinari? *R.* Alii negant, plures probabiliùs affirmant, si non adfuerit specialis causa, cur ordinandus ad hunc potius Episcopum, quàm ad alium destinetur, cùm veras dimissorias habere supponatur, & possit aliquando præsumi destinantis consensus, & hoc posito nec irregularitatem, nec suspensionem incurreret.

De Ordinibus in particulari.

Q. Quid est Ostiariatus? *R.* Est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.

Q. Quænam est materia, & quæ forma hujus Ordinis? *R.* 2plex est materia. *Remota* claves Ecclesiæ *Proxima* traditio earundem clavium *Forma* verò sunt verba ab Episcopo prolata.

Q. Qui nam est effectus ejusdem Ordinis? *R.* 1. Gratia ordinata ad finem Sacramenti. 2. Character &c.

Q. Quod est Officium Ostiarii? *R.* est templum claudere, & aperire, illudquè custodire, admittere dignos, excludere indignos: sunt autem indigni Infideles, Apostatæ, Hæretici, Excommunicati, Interdicti.

Q. Etiam Laici exercent ejusdem officia, ergo non sunt propriè ostiarii. *R.* Exercent quidem, sed non ex officio. Ostiarii verò exercent ex proprio officio.

Q. Quâ animi dispositione ordinandus in Ostiarium? *R.* præter summam animi pietatem, & religionem, confiteri debet, & se ad Sacram Communionem præparare.

Q. A quo, & quando institutus fuit hic Ordo?

R. à

R. à Xto Domino cum Math. 21. Ejecit ementes, & vendentes de templo.

Q. Ubi præfiguratus eſt Oſtiariatus Ordo? R. in veteri Teſtamento per Electos ad templi cuſtodiam, ut mundos reciperent, immundosquè repellerent. 2. Reg. 5. & Iſa: 43.

De Lectoratu.

Q. Unde deſumitur Etymologia Lectoris? R. ab officio, hoc eſt à legendo, quod legere debeat lectiones Prophetarum in Eccleſia.

Q. Lectoratus eſtnè Ordo? R. Eſt, quô conceditur poteſtas ſcripturas legendi in Eccleſia.

Q. A quo, & quando inſtitutus fuit hic Ordo? R. à Xto Domino ſtante in medio Doctorum Luc: 4. & aperiente librum, ac illa verba. Iſa: 16. *Spiritus Domini ſuper me &c.* legente.

Q. Quænam materia, & quænam forma Lectoratus? R. *Remota* eſt liber ſacrarum Lectionum. *Proxima* Traditio ejusdem libri. *Forma* ſunt verba ab Epiſcopo prolata.

Q. Ubi præſignatus eſt hic Ordo? R. in illis verbis Iſa: 58. *Clama nè ceſſes &c.*

De Exorciſtatu.

Q. Quid ſibi vult hoc nomen Exorciſta? R. Exorciſta deſumit ſuum nomen ab officio, hoc eſt ab Exorcizmo, & abjuratione Dæmonis.

Q. Quando præſignatus fuit hic Ordo? R. Cùm David Cithara pſallebat, Saulumquè à Dæmonii vi alleviabat. Unde Exorciſta idem eſt, atquè increpans, & expellens Dæmones.

Q. Eſtnè Ordo Exorciſtatus? R. Eſt, quô initiatus recipit poteſtatem exorcizandi Dæmonem, nè impediat Energumenum à veneratione & ſuſceptione SS. Euchariſtiæ.

Q. A quo, & quando institutus est hic Ordo? R. à Xto Dño, cum è Magdalena, aliisquè à Diabolo obsessis. 7. Dæmonia ejecit Marc. 16.

Q. Quæ materia, quæ forma est hujus Ordinis? R. *Remota* est Exorcismorum liber. *Proxima* verò ejus ab Episcopo porrectio. *Forma.* verba Episcopi ex Pontificali in traditione dicta.

Q. Qui sunt Energumeni & qui Catechumeni? R. *Energumeni* sunt qui à Dæmone obsidentur ac vexantur. *Catechumeni* verò qui non dum baptizati in fide ac Religione Christiana erudiuntur, & postea baptizantur.

Q. Quotuplex est potestas exorcizandi? R. duplex 1ma *Generalis* illa jure Divino competit omnibus Xti fidelibus, ea potestate utuntur fideles, aspergendo se aquâ benedictâ cum verbis. *Ecce crucem Domini &c.* hac potestate legimus expulsa esse Dæmonia non tantum à Viris, sed etiam à Sanctis fœminis. 2. *Specialis* quæ solis ministris Ecclesiæ vi Ordinis sui Exorcistatûs convenit.

Q. Potestas specialis quotuplex Ministerium habeat? R. 2plex *Solenne* quod exercetur cum certo apparatu in publico loco vg. in Ecclesia, coram populo, & cum certis cæremoniis ab Ecclesia institutis. *Non solenne* fit per simplicem invocationem nominis Dei, ac per formam à Xto institutam, & ab Apostolis traditam sine ulla alia solemnitate.

Q. Num Episcopi possunt generaliter prohibere Clericis sibi subditis nè sine suo consensu, & licentia speciali Ministerio Exorcistæ fungantur? R. Cum Brog: ordinariè quando prohibetur, prohibetur solum, nè solemniter & publicè

cè fungantur ministerio Exorcistæ, non verò privatè & sine solemnitate. *Ratio primi* quia potest justa esse causa ob quam prohibeatur publica Exorcizatio *vg.* si esset periculum scandali, si Exorcista cum Dæmone adjurato nil efficeret, adstantes forsan commoverentur ad vilipendendam potestatem spiritualem Exorcisticam, quæ tamen justa causa non potest allegari pro inhibenda facultate exorcizandi privatim, nisi respectu eorum, qui in hoc munere excessisse, vel excessuros esse dignoscuntur; equidem beneficium juris illi est auferendum, qui in jus peccavit.

De Acolythatu.

Q. Quid significat hoc nomen Acolythatus? R. Acolythus græcè, latinè Pedisequus, quia Diacono, & Subdiacono inservit, significat Clericum, cui conceditur solenniter interesse Sacro, & deferre candelabrum cum cereo accenso.

Q. Acolythatus estnè Ordo? *R.* Est, in quo traditur spiritualis potestas ferendi Candelabrum accensum, accendendi lumina, parandiquè urceolos cum vino, & aqua ad Missæ sacrificium.

Q. Quænam materia, quæ forma hujus Ordinis? *R.* *Remota* sunt urceoli vacui, & candelabrum cum cereo extincto. *Proxima* est traditio dictorum. *Forma* sunt verba ab Episcopo prolata, cum tradit materiam ei, qui ordinatur.

Q. A quo & quando institutus est hic Ordo? R. à Xto Domino cum Joan: 8. dixit, *Ego sum lux mundi.*

Q. Ubi fuit præsignatus hujusmodi Ordo? R. in candelabris ante propitiatorium stantibus Exod. 25. vasisquè templi Salomonis. Unde Rabanus hunc ordinem comparat iis, qui in Sa-

lomonis templo & tabernaculo lucernas quotidiè accendebant.

Q. Quis est Minister dictorum Ordinum? R. Ordinariè solus Episcopus & Abbates Infulati, respectu suorum subditorum regularium tantùm.

Q. Acolytus si in peccato mortali exercet suum ministerium, committitnè novum peccatum mortale? R. negativè. Tum quia ejus ministratio (idem dicendum de aliis minoribus Ordinibus) non est meritorum Christi dispensatio. Tum quia valdè remotè ministrat in solenni sacrificio Missæ. *Suarez* tamen & *Lugo* irreverentiam saltim venialem agnoscunt, ob naturale præceptum res sacras sacrè tractandi.

Q. Ordinatus in minoribus si in Excommunicatione exerceat solenniter actum sui Ordinis incurritnè irregularitatem? R. Neg: quia jam usu receptum est, ut actus minorum Ordinum exerceantur etiam à Laicis cum solemnitate.

CAPUT VI.

De Censuris in genere.

Q. Quid est Censura? R. Est pœna Ecclesiastica spiritualis & medicinalis fori exterioris, privans hominem baptizatum delinquentem, ac contumacem usu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat.

Q. Cur dicitur *pœna Ecclesiastica?* R. quia est Juris Ecclesiastici & per Ecclesiasticam potestatem infligitur.

Q. Cur apponitur ly *Spiritualis & medicinalis?* R. quia est medicina delicti, & quia directè, & per

& per se primario privat aliquibus bonis spiritualibus.

Q. Quotuplicia sunt bona Spiritualia? R. Alia numerantur bona Spiritualia, interna propria, ac privata, à quibus vita Spiritualis pendet, ut gratia habitualis, virtutes supernaturales infusæ, ad hæc spectat etiam Character &c. & his non privat Ecclesia per censuram, cùm non subsint illius dispositioni, ast bonis Spiritualibus publicis, & externis (ut sunt jurisdictio, Sacramentorum administratio, & perceptio. Item publica suffragia, Ecclesiæ Indulgentiæ) privare potest, & etiam privat invitos.

Q. Quare in definitione additur: *fori exterioris?* R. quia licèt in foro interno conscientiæ pæna interdum esset Spiritualis (utsi, *vg.* Confessarius suspenderet Sacerdotem pænitentem à celebranda Missa) tamen quia spectaret ad ejusmodi forum, nec requireret jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi, idcirco non veniret intelligenda nomine censuræ.

Q. Quæ requiruntur ad incurrendam ab aliquo censuram? R. 1. Ut sit homo viator, adultus saltim impubes baptizatus, in non Baptizatos enim uti Judæos &c. Ecclesia nullam habet jurisdictionem. 2. Peccatum mortale actu externo consummatum proprium; potest etiam Censura ferri ob alienum, quod aliquo modo fit proprium. 3. Contumacia, cum quis sciens aliquam rem esse prohibitam ab Ecclesia sub aliqua censura, nihilominus illam committit vel præceptam omittit.

Q. Quæ excusant ab incursu Censuræ? R. 1. Ignorantia juris, vel facti dummodo non sit crassa,

& affe-

& affectata. Item parvitas materiæ, impotentia sivè Physica sivè moralis. Indeliberatio rationis, imperfectus consensus, appellatio legitimè interposita ad superiorem post comminationem censuræ ab inferiori facta, antequam incurratur. Prorogatio termini facta ab eo qui censuram tulit. Hæ conditiones si deerunt, censuræ latæ in foro conscientiæ non ligant, verùm taliter excommunicati in foro externo ad vitandum scandalum, saltim in publico, se gerere ita debent ac si essent excommunicati, donec nullitas censuræ judicio sapientum cognoscatur, & hoc vulgo manifestetur. Quod si, antequam nullitas publicetur, se ingerant Divinis publicè, peccabunt, irregularitatem tamen non incurrent, cùm hic actus inobedientiæ non sit perfectus in sua specie.

Q. Qui possunt excommunicare & alias censuras ferre? R. De jure summus Pontifex, Legati à latere Nuntii, in tota Provincia suæ legationis, ArchiEpiscopi & eorum Vicarii, Capitulum, sede vacante, Superiores in Religionibus suis.

Q. Qui non possunt censuras ferre? R. Puri laici, id est qui saltim prima Tonsurâ non sunt initiati, ex concessione tamen Papæ possunt. Fæminas jure Divino esse incapaces ferendi censuras (cum sint incapaces jurisdictionis Spiritualis) docet S. Tho.

Q. Si dubium sit, an latæ an ferendæ sententiæ censura sit dicenda quomodo interpretandum? R. benignior sententia tenenda quod sit ferendæ. *Bon:*

De Censuris in particulari.

Q. Quod sunt species censurarum? R. 3. Excommu-

communicatio, suspensio & Interdictum.

Q. Quid est Excommunicatio? *R.* Est censura per quam quis privatur communione Ecclesiæ, id est communibus Ecclesiæ bonis, vel omnibus vel aliquibus. Differt verò ab Anathemate, non quo ad vinculum, sed solum quo ad solemnitatem, quia Anathema est ejectio solemnis alicujus ab Ecclesia.

Q. Potestnè Sacerdos ex privata intentione orare pro Excommunicato? *R.* Potest.

Q. Quomodo dividitur Excommunicatio? *R.* In Majorem & Minorem.

Q. Cur vocatur Major? *R.* quia respectivè ad alteram, maiorem requirit causam & quia majoribus privat bonis. Uti activâ & passivâ Sacramentorum participatione (hoc est quod nec accipere, nec aliis administrare potest Sacramenta, quod si det, fit irregularis.) Item suffragiis Ecclesiæ, Electione tam activâ quam passivâ ad Beneficia, liberat subditos ab Obedientia, quod non obligentur Dominis tunc inservire, possunt tamen, ut inferius patebit. Eosdem à testimonio perhibendo, & actoratu repellit, Ecclesiasticâ sepulturâ spoliat &c.

Q. Excommunicatus excommunicatione majore quotuplex datur? *R.* 2plex *Toleratus* quem fideles non tenentur vitare. Et tales tolerati sunt omnes, qui non excommunicantur publicè, ac nominatim, sed in genere, uti Hæretici. Et *non toleratus* quem tenemur vitare. Et tales sunt, qui nominatim excommunicantur.

Q. In quibus casibus non licet conversari, seu communicare cum excommunicato non Tolerato? *R.* in his qui exprimuntur hoc versu.

Os,

Os, Orare, vale communio, mensa negatur.

Q. Quid intelligitur per dicta? R. Per *Os* intelligitur omne colloquium amicabile etiam privatum per nutus literas &c. *Orare* hoc est Communicatio in Divinis. *Vale* quod comprehendit omnem salutationem, verbo, vel signo, vel amplexu &c. *Communio* quæ comprehendit omnem contractum (qui tamen validus est si fiat) cohabitationem, Societatem, nec iter cum eo facere licet. *Mensa* Per quam intelligitur omnis convictus, & convivia per modum Societatis & commercii.

Q. In quibus autem casibus licet conversari sive communicare? R. in his.

Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

Q. Quid intelligitur per ista? R. *Utile* in casu utilitatis sivè Spiritualis ipsius excommunicati, ut convertatur, sive alterius ut ab Excommunicato consilium petat, quod ab alio habere non potest, sive etiam utilitatis temporalis *vg.* ut ab eo debitum restituatur. *Lex* in casu legis Matrimonialis: uxor cum excommunicato Marito communicare potest. *Humilis* in casu subjectionis servitii, sic Filii Parentibus, servi Dominis excommunicatis communicare possunt, si ante excommunicationem fuerint in servitio. *Res ignorata.* In casu ignorantiæ juris, vel facti. *Necesse* in casu necessitatis, sive animæ, sive corporis.

Q. Quid est ignorantia juris, & quid facti? R. Ignorantia *juris* est quâ ignoratur jus, sive lex sive sententia judicis, aliquid sub censura imperantis vel prohibentis sic *vg.* percutit quis Clericum, quia ignorat prohibitum esse. *Facti ignorantia est.* qua ignoratur ipsum opus, aut circum-

stantia

ſtantia vg. ſcit percutiens eſſe prohibitum percutere Clericum, ſed hunc ignorat eſſe Clericum.

Alia ignorantia eſt *pænæ* quando percutiens ſcit eſſe prohibitum percutere Clericum, & hunc ſcit eſſe Clericum, ſed ignorat eſſe latam pænam excommunicationis.

Alia eſt *vincibilis* quæ vinci facile poteſt adhibitâ diligentiâ.

Alia *Invincibilis* quæ vinci non poteſt & ſi adhibeatur omnis diligentia vg. quia nec dubium habet, nec ratio de oppoſito occurrit, talis ignorantia non eſt culpabilis.

Alia dicitur Vincibilis affectata; Alia craſſa & ſupina. *Affectata eſt* quâ quis affectat non ſcire præceptum, ut liberiùs non obſervet, idcirco non adhibet ſufficientem diligentiam ad reſciendum. *Craſſa* eſt quæ oritur ex pura ſive nimia negligentia ſciendi ea, quæ quis ſcire tenetur. *Supina* provenit ex nimia ſollicitudine ad alia negotia impedientia debitum ſtudium ea ſciendi, quæ oportet.

Q. Quomodo adhuc ignorantia exdividitur. R. *in antecedentem*, quæ ſi non eſſet actus non poneretur ſic ſi Titius, ſciviſſet Petrum eſſe Clericum, eum non percuſiſſet. 2. *In concomitantem* quæ ſi non eſſet; actus poſitus eſſet: vg. Petrus Sagittam jecit in Cajum putans eſſe feram, quod tamen ſi ſciviſſet, feciſſet, cum eum occidere intendebat. 3. *In ſubſequentem* quæ quovis modo ſumpta eſt voluntaria.

Q. Quæ ignorantia ex dictis excuſat à Cenſura? R. Ignorantia invincibilis juris, ſive communis, ſive particularis, & facti, uti & antecedens excuſat ab incurrenda cenſura.

Igno-

Ignorantia vincibilis crassa & supina juris & facti non excusat à Censura nisi addatur in Decreto: *si præsumpserint scienter fecerint*. Ignorantia culpabilis vincibilis quæ nec est crassa nec supina nec *Affectata* probabilius est quod excuset quia Cap. dicto. *Ut animarum* generaliter asseritur ignorantiam, quæ non est crassa, nec supina excusare ab omnibus sententiis Ordinariorum.

Q. Quomodo adhuc dividitur Excommunicatio? *R.* in Excommunicationem *à jure* quæ fertur per Canones, constitutiones & statuta Ecclesiastica modo stabili & permanente ab habente potestatem Et *ab homine* quæ fertur à judice Ecclesiastico in suos subditos criminosos, & contumaces proferente sententiam, vel aliquid præcipiendo sub pœna Excommunicationis.

Q. Quotuplex adhuc est? *R.* Excommunicatio sive à jure sive ab homine alia est *Generalis* quæ generaliter fertur contra delinquentes v.g. contra hæreticos, fures &c. Item alia est *Latæ sententiæ* id est, quæ ipso facto vel criminis admissione incurritur ante sententiam Judicis. *Alia est ferendæ sententiæ* id est quæ solum est comminatoria nec ipso facto incurritur ante sententiam judicis. Et *specialis* quæ contra determinatas Personas, & nominatim expressas infligitur.

Q. Quomodo adhuc dividitur excommunicatio? *R.* Alia est reservata, Alia non reservata, sic excommunicationes contentæ in Bulla Cænæ sunt Papæ reservatæ, aliæ sunt Episcopis, aliæ nulli sunt reservatæ, à quibus quivis approbatus absolvere potest.

De Excommunicatione Minori.

Q. Quid est Excommunicatio minor? *R.* Est censura

censura Ecclesiastica privans aliquem passivâ Sacramentorum participatione, & electione passiva ad dignitates & Beneficia Ecclesiastica. Hi duo solùm effectus sunt Excommunicationis minoris, à qua omnis Sacerdos approbatus absolvere potest.

Q. Quare dicitur minor? *R.* Quia est pars majoris, & quia minores effectus habet, quàm excommunicatio major, vel quia ob minus peccatum incurritur.

Q. Ob quam causam incurritur minor Excommunicatio? *R.* cum quis communicat cum excommunicato excommunicatione majore denuntiato, vel publico percussore Clerici.

Q. Possetnè per excommunicationem cum excommunicato majori excommunicatione incurri etiam, ipsa major excommunicatio? *R.* posset, si quis communicaret cum contemptu clavium, vel in ipso crimine, ob quod aliquis est excommunicatus, vel cum excommunicato à Papa.

Q. Gravatus minori Excommunicatione an licitè aliis potest conferre Sacramentum? *R.* potest, quia tantùm à passivo Sacramentorum usu remotus est. Idem potest alios absolvere ab excommunicatione minori. Hinc si susciperet aliquod Sacramentum peccaret quidem, non tamen fieret irregularis.

Q. In jure, nomine Excommunicationis simpliciter, quæ venit intelligenda? *R.* Excommunicatio major.

De Absolutione à censuris.

Q. Quis à censuris absolvere potest? *R.* à censuris à jure, sive ab homine, si non sint reservatæ absolvere potest quilibet Confessarius in foro

con-

conſcientiæ, in foro autem externo ſuperior cenſurati, hoc eſt Epiſcopus vel ejus Vicarius &c. Si vero ſunt reſervatæ, ab eo abſolvi debet, tam in foro interno, quam externo, cui ſunt reſervatæ.

A cenſuris ab homine abſolvere poteſt is, qui eas tulit, excepto mortis articulo, in quo quivis Sacerdos etiam degradatus, à quibusvis cenſuris abſolvere poteſt. non autem Clericus, multo minus Laicus, quia nulla lex eis hoc concedit, prout concedit Sacerdotibus. Concil: Trid: Seſ. 14.

Q. Si quis excommunicetur, donec reſtituat, an liberatur à cenſura? R. ſi ſuſpendatur, vel interdicatur quis, donec reſtituat, factâ reſtitutione, liberatur, ſi autem eodem tenore excommunicetur, non liberatur, nec per mortem excommunicantis, nec per emendationem excommunicati, nec per mortem ejuſdem, ſed debet inſuper abſolvi ab excommunicatione. *Sua Layi Nav:* c. 27. &c.

Q. Petrus dum verſabatur in alieno Epiſcopatu contraxit quandam excommunicationē ibidē per ſtatutum impoſitam poteſtnè abſolvi dum redit in Patriam à proprio Eppo? R. non poteſt quia ratione delicti eſt ſubditus illius Epiſcopi, ubi delictum commiſit, & ab illo ſolo poteſt abſolvi, ita decernitur in jure, ut non niſi ille Epiſcopus abſolvere poſſit in cujus Diæceſi deliquit. Octavs Dia: ex Fabr.

Q. Abſolutus Sacramentaliter in mortis articulo à ſimplici Sacerdote, an debeat ſepeliri in loco ſacro, dum non ſit abſolutus ab eo, cui erat reſervata excommunicatio? R. affrm. *Cap. Parochi de Sepult.*

Q. Qui

Q. Qui non potuit in mortis articulo absolvi ab excommunicatione, & signa contritionis ostendit uno solum testante, an potest absolvi post mortem? *R.* potest, non quidem à peccatis, sed ab excommunicatione, nec quidem tunc à quolibet Sacerdote, ut potuit ante mortem, sed ab eo cui reservata fuit excommunicatio.

Q. Confessarius comperiens se male absolvisse pænitentem à censuris num poterit post obtentam licentiam absolvendi, absolvere ab illis absentem? *R.* poterit, siquidem absolutio à censuris non solum ferri potest in absentem, sed etiam ignorantem, & existentem in peccato mortali, præterea nisi ipsum absolveret, esset in causa, ut pænitens privaretur Ecclesiæ suffragiis. *Bon: Sua: Nav. Fil: &c.*

Q. Nonnè interdum permitti solet absolutio à censuris, etiamsi nulla adsit suspicio censuræ contractæ? *R.* solet sub his terminis: *Absolvo te à vinculo Excommunicationis suspensionis & interdicti in quantum possum & tu indiges.* & hoc ad vitandam irreverentiam, si forte pænitens in occulta esset censura, vel ad vitandam irregularitatem, in eadem suppositione, si pænitens ordinandus esset, vel ad vitandam invaliditatem, si pænitenti conferendum esset Beneficium Ecclesiasticum.

Q. Impetrans absolutionem ex falsa causa ab Excommunicatione an valebit absolutio? *R.* Non, quia tunc eum Judex non censetur absolvere velle.

Casus Particulares

Q. Clericus ex ira & injuriosè seipsum percutiens incurritnè Excommunicationem? *R.* multi DD. affirmant, sed probabilius negat Turr. &c. apud Dia: quia Canon *si quis* manifestè loquitur

de persona distincta à percutiente Clericum. Tum quia oppositum nullo jure probatur, hinc odiosa sunt restringenda.

Q. Si Clericum volentem eripere pudicitiam Virgo, aut mulier percutiat, incurritnè excommunicationem? *R.* non, si non potest eundem verbis repellere zelô castitatis accensa.

Q. Si quis percutiat v. g. studiosum habentem Clericalem habitum putans se percutere Clericum, estnè excommunicatus? *R.* non, quia non excommunicatur aliquis propter intentionem, sed propter factum, Hinc percussus debet omninò saltem esse primâ tonsurâ initiatus.

Q. Si quis percutiat Clericum putans esse Laicum, an hic incidit in Canonem? *R.* non; excusat eum ignorantia facti, neque tunc censetur esse contumax, nam si sciret desisteret. Unde in foro conscientiæ manet liber à censura.

Q. Clericum excommunicatum percutiens inciditnè in Canonem? *R.* Affr. quia licet excommunicatus, manet tamen Clericus, nec ullibi invenitur hoc exutus privilegio.

Q. Incurritnè in Excomm: qui percutit Petrum Clericum credens illum non esse Petrum, sed Paulum similiter Clericum? *R.* Affr: quia tam intentio quam opus externum est injuriosum Clericali statui, Tum quia nulla ignorantia excusat in tali casu, cùm habeat intentionem percutiendi Clericum, & re vera percutit licèt credat esse alium Clericum Bon. San. Dia: &c.

De Suspensione.

Q. Quid est suspensio? *R.* Est censura Ecclesiastica, quâ Clerico ob suam culpam prohibetur exercitium Ordinis, vel jurisdictionis, vel

usus

usus Beneficii in totum, vel in partem, ad tempus vel in perpetuum. Sive quâ Clericus privatur usu Officii vel Beneficii vel utriusque.

Q. Cur dicitur *Clerico*? *R.* ad denotandum quòd solus Clericus, id est unâ Tonsurâ adminimum initiatus, fit subjectum capax hujus censuræ ob suam culpam, & quidem mortalem, si sermo est de suspensione lata à jure, quæ enim ab homine fertur, incurri potest etiam ob veniale.

Q. Cur dicitur ly *Exercitium prohibetur*? *R.* ideo quia suspensus ab Ordine, actum Ordinis exercere nequit, nec suspensus à jurisdictione, ea, quæ jurisdictionis sunt; neque suspensus à Beneficio, fructus Beneficii recipere potest.

Q. Cur dicitur ly *quo ad totum*, *vel partem*? *R.* quia aliquando contingit suspendi ab omnibus istis simul, scilicet: Ordine, jurisdictione, & usu Beneficii, aliquando non nisi ab uno ex præfatis, aliquando etiam ab uno tantùm certo ordine, vel ab uno certo beneficio, aut Officio. Unde tantam vim habet suspensio, quantam verba exprimunt, si proinde sit simpliciter lata sine ulla restrictione suspendit ab omni officio, & beneficio, nisi ex antecedentibus, vel consequentibus verbis, vel ex mente judicis colligatur aliqua restrictio, ut observat Fill.

Q. Cur dicitur: *ad tempus vel in perpetuum*? *R.* quia suspensio aliquando fertur ad tempus determinatum, aliquando simpliciter, absquè ulla temporis determinatione, & aliquando etiam in perpetuum, in quo licèt aliqualiter cum depositione conveniat, in aliis tamen multum differt tum in hoc, quod sit Censura, non sic depositio: tum in eo, quod vi suâ, sit revocabilis, quod jure ordinario non verificatur de depositione.

Q. Quis ferre potest suspensionem? R. omnis ille qui excommunicare potest.

Q. Quam pœnam incurrit violans suspensionem? R. suspensus exercendo solemniter aliquem actum peculiarem alicujus majoris ordinis, à quo suspensus est, peccat mortaliter, & fit irregularis.

Q. Enumeret casus aliquos ob quos violans suspensionem incurrit irregularitatem vel non? R. 1mo Exercens actum alicujus ordinis minoris, vel etiã majoris, non solemniter, nec ex Officio administrando, non fit irregularis. Communit. DD.

2do Exercens actus solius jurisdictionis, qui non sunt conjuncti cum actibus Ordinis, nec tunc fit irregularis.

3tio Suspensus ab Ordine, fit irregularis benedicendo aquam, cereos, fructus, nuptias aut mulierem post partum. *Bonac:* non tamen benedicendo mensam.

4to. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ fit irregularis, celebrando in ea v. in cæmeterio; secus si alibi celebraret.

5to Suspensus ab administratione Sacramentorum, non fit irregularis, illa suscipiendo.

6to. Suspensus à susceptione Sacramentorum, si suscipit, peccat mortaliter, non fit autem irregularis, quia suscipere non est actus Ordinis. Sylv.

7mo Suspensus ab Officio prædicandi, si prædicet, non fit irregularis, sed peccat & punitur, secus si prædicet solemniter, & ex suo Officio sicut tenentur prædicare Episcopi & Parochi. *Nav. in sum. Cap. 26.*

8vo Suspensus à beneficio non fit irregularis recipiendo fructus Beneficii, quamvis peccet contra justitiam, usurpando sibi fructus Beneficii,

ad

ad quos non habet jus, ob Censuram suspensionis. *Bon.*

Q. Promotus ad Sacros Ordines extra tempora, & dolosè mentiens in ætate vel Patrimonio, sitne ipso jure suspensus? *R.* Affr: quæ suspensio non solùm ad supervenientem ætatem durat, sed perpetuò, donec scilicet absolutio subsequatur. *Const. Pii V.*

Q. Suspensus à proprio Episcopo an incurrit irregularitatem, si *vg.* celebret in alio Episcopatu? *R.* Affr. quia suspensio, in qua celebrat, afficit personam, nec respicit locum, imo nec poterit tolli, nisi cum Authoritate sui Episcopi, vel superioris, uti cum pluribus Beja: p. 1.

Q. Si quis ante sententiam bona fide appellârit, & judex nihilominus pergat, an si talis celebret fiat irregularis? *R.* neg. attamen tenetur se ita publicè gerere, ut censuratus.

Q. Quibus modis suspensio tollitur? *R.* 3bus Impletâ conditione, *vg.* restitutione aut obligatione. 2*do* Absolutione, potest autem ab ea absolvere, qui eam tulit, si verò sit lata à jure, is absolvere potest, cui est reservata, quod si nemini sit reservata, Episcopus absolvere potest. 3*tio* Relaxatione seu Dispensatione.

De Depositione & Degradatione.

Q. Quid est depositio? *R.* Est pœna Ecclesiastica ex se perpetua, & vindicativa privans personam Ecclesiasticam, ob crimen, omni Officio, & Beneficio, retento solo Canonis, & fori privilegio.

Q. Quid est Degradatio? *R.* Est privatio Officii, & Beneficii simpliciter, & in toto, sine

ſpe reſtitutionis facta cum certa ſolemnitate, & privatione Privilegii Clericalis Fori, & Canonis, ut ſæculari foro tradatur, & talis degradatio dicitur realis depoſitio.

Q. An degradatio aut Depoſitio ſint cenſuræ? R. non ſunt, quia ſunt pænæ perpetuæ, cenſuræ autem ſunt pænæ ad tempus.

Q. Ob quas causas feruntur hæ pænæ? R. Depositio imponi ſolet ob adulterium, ſtuprum, incæſtum, furtum, perjurium, homicidium etiam ſolo conſilio perpetratum &c. *Ita Innoc, in Cap. cum Dilectus, Bon*: Scelera verò ob quæ degradatio imponi ſolet, ſunt: Hæreſis manifeſta, ſolicitatio ad turpia in Confeſſione, Sodomia, Homicidium Regis, aut Epiſcopi.

Q. An Degradatus, & Depoſitus teneatur ad Horas Canonicas, & ad votum Caſtitatis? *R.* affr: quia ordo ab illis non tollitur, ſed ſolum Executio Ordinis, niſi ad tales pænas darentur, in quibus illis foret impoſſibilis recitatio *vg.* ſi darentur ad Triremes vel in perpetuo carcere eſſent tenebroſo.

De Interdicto

Q. Quid eſt Interdictum? *R.* Eſt cenſura Eccleſiaſtica Sacramentorum quorundam uſum, Divina Officia, & Sepulturam Eccleſiaſticam prohibens.

Q. Quotuplex eſt Interdictum? *R.* Aliud eſt *Locale* quo ſolus locus interdicitur, ne in eo Officia Divina fiant. Aliud *Perſonale* quo prohibetur populus, vel aliqua Perſona particularis audire Divina Officia ubicunquè ſit. Et *Mixtum*, quo interdicitur locus & perſona.

Q. Quo-

Q. Quomodo locale ſubdividitur? R. In *generale* quo interdicitur locus univerſalis ut Regnum Provincia Parochia. Et in *particulare* quo interdicitur aliqua certa Eccleſia cum quo ſemper comprehenditur ſacellum vel cæmeterium contiguum, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. Pias.

Q. Quomodo adhuc dividitur Interdictum? R. In *totale* quod omnes interdicti effectus habet. Et in *partiale* quod non omnes ſed aliquos tantùm effectus habet. Denique dividitur in interdictum à jure, & ab homine, quæ diviſio per ſe nota eſt.

Q. Per quid differt. Interdictum ab aliis Cenſuris? R. differt ab Excommunicatione quia excommunicatio ultra plura quibus privat, privat etiam humana & politica communicatione, non ſic interdictum. Unde interdictos non tenemur vitare. Inſuper Excommunicatio nonniſi contra perſonas particulares, & nocentes poteſt infligi. Interdictum verò etiam contra Communitatem, & innocentes. Contra innocentes tamen fertur indirectè & per accidens quatenus inter eos, qui interdicti ſunt, directè, morantur. Et hoc pacto ſæpè innocentes damna ſive culpam, ſed non ſine cauſa patiuntur, ut liquet in caſu belli juſti.

Q. Per quid differt à ſuſpenſione? R. Suſpenſio non privat omnibus, quibus privat interdictum ſed aliquibus, & ut procedunt à poteſtate Clericali. Unde ſuſpenſio ſuper ſolos Clericos fertur. Interdictum verò tam in Clericos, quam in Laicos ferri poteſt.

Q. Quænam Sacramenta tempore Interdicti adminiſtrari poſſunt? R. Sacramentum *Baptiſmi* & *Confirmationis* poteſt quibuscunquè cum ſolita

ſole-

ſolemnitate conferri. Etiam Sacramentum *Pœnitentiæ* tempore interdicti ſive localis generalis, ſive perſonalis omnibus adminiſtrari poteſt, præterquam iis propter quorum culpam, dolum, aut fraudem interdictum latum eſt. Sacramentum *Eucharistiæ* morituris per modum Viatici poteſt adminiſtrari, & portari cum lumine campanula & Fidelium comitatu. Et *Extremæ Unctionis*. Contractus *Matrimonii* non eſt tunc prohibitus, ſolemnis tamen benedictio ſponſis dari non debet. Nav: *Sacrificium Miſſæ* celebrari poteſt, ſed ſubmiſſa voce, januis clauſis nec pulſatis campanis, & expulſis perſonaliter interdictis; In Feſtis autem ſolemnibus uti Nativitatis Domini, Reſurrectionis &c. celebrari poſſunt omnia Officia apertis januis, admiſſis interdictis, non tamen excommunicatis. Zua: Nav:

Q. Quam pœnā incurrunt violantes interdictū? R. Clerici in ſacris conſtituti ſi violant interdictum peccant mortaliter, & incurrunt irregularitatem, in qua ſolus Pontifex diſpenſat. In minoribus autem conſtituti, & ſi peccent, non incurrunt irregularitatem. Nam Textus juris ſolùm loquitur de Clericis in ſacris. Laici ſcienter transgrediendo interdictum audiendo Miſſam mortaliter delinqunt, quia contra Præceptum Eccleſiæ in re gravi agunt.

Q. Interdictum quando ceſſat? R. 1. Abſolutione, ille autem abſolvere poteſt, qui tulit interdictum. 2do Elapſo tempore, vel adimpletâ conditione. 3tio Relaxatione. Hinc ad tollendum vel relaxandum, vel ſuſpendendum interdictum nulla certa verborum forma præſcripta eſt, ſed nudo verbo tolli, vel relaxari poteſt, dicendo: revoco, removeo, vel abſolvo &c. Q.

Q. [Qui sunt Effectus Interdicti? *R.* 3. 1. privatio aliquorum Sacramentorum. *2do* privatio Divinorum Officiorum, quorum nomine comprehenditur Sacrificium Missæ, publica & solemnis Oratio, Processio &c. *3tio* Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, quæ adeò generalis est, ut etiam defunctorum infantium, & amentium Sepulturam comprehendat. Lay. Bon. Corpora tamen Spiritualium Personarum quæ non sunt personaliter interdictæ (modo interdictum non violarint) in locis Sacris etiam Interdictis sepeliri possunt sine ulla tamen solemnitate.

Q. Interdictus dum mutat Domicilium, an manet interdictus? *R.* Si particulariter & in persona interdictus est & si mutet Domicilium manet interdictus, donec absolvatur, secùs si interdictus sit generaliter tanquam subditus loci.

De Cessatione à Divinis

Q. Quid est cessatio à Divinis? *R.* Est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco à Divinis Officiis & Sacramentorũ administratione, nisi quatenus eam necessitas postulat.

Q. Per quid differt ab interdicto locali? *R.* quia cessatio non est censura neque propriè dicta pæna, sed simplex prohibitio Divinorum, in signum gravissimi mæroris ab Ecclesia recepti ob gravissimam injuriam sibi, vel honori Divino illatam, *vg.* ob notabiliter violatam immunitatem Ecclesiasticam, ut hâc ratione injurians desistat, & Ecclesiæ læsæ satisfacere cogatur. Eam ferre potest, qui & censuras.

Q. Violans cessationem sive particularem sivè generalem, quam pænam incurrit? *R.* peccat mortaliter, non fit autem irregularis, cùm non sit censura.

Tem-

Q. Tempore cessationis possuntnè sepeliri corpora mortuorum? *R.* possunt Clericorum, sed sine ullis cæremoniis, imò secundum quosdam etiam Laicorum.

Q. Quæ non licent tempore cessationis? *R.* 1. Campanâ signum dare pro Missa vel ad Divina Officia non licet. Ad recitandam verò Angelicam Salutationem & audiendam concionem non est prohibitum, servanda tamen est consvetudo loci. *Alloz. Henr.* 2*do* Prohibetur usus Sacramentorum præter Baptismum, Confirmationem & Pænitentiam. Eucharistia per modum Viatici potest solemniter portari ad infirmos, & campanulâ signum dari. Et si non fuerit ad hoc Hostia consecrata, tunc clausis januis celebrari Missa potest. 3*tio* singulis Hebdomadis licet Missam dicere ad renovandam Eucharistiam.

CAPUT VII.

De Irregularitate.

Q. Quid est irregularitas? *R.* Est Canonicum impedimentum, vel ex facto, vel ex delicto proveniens, quô quis directè prohibetur, & inhabilitatur ad Ordines suscipiendos, vel susceptos exercendos.

Q. Cur dicitur impedimentum? *R.* Ut distingvatur à censuris, quæ ex propria sua ratione ob culpam infliguntur, tanquam pænæ medicinales. Irregularitas autem infligitur per modum declaratæ inhabilitatis personæ ad Ecclesiasticum Ordinem suscipiendum (vel si Ordinem jam susceperit) ad eundem exequendum, idquè ob aliquem illius Personæ defectum, vel delictum

Q. Cur

Q. Cur dicitur Canonicum? R. ad significandum quòd irregularitas tantùm sit res juris Canonici; seu Ecclesiastico jure introducta. Unde in nullo facto, aut defectu incurritur, nisi ex jure Pontificis eam annexam habeat.

Q. Cur dicitur: *quo quis directè &c.?* R. ad differentiam censurarum, quæ quanquam ordines & eorum usum impediant, quatenus sunt communicatio, aut Sacramenta, aut dicitur *vel susceptos exercendos* quia irregularitas aliquando impedit usum susceptorum, & aliquando impedit unum usum, & non alium ut patebit.

Q. Quotuplex est irregularitas? R. 2plex. *Totalis* quæ est impedimentum Canonicum privans susceptione omnium Ordinum vel omnium susceptorum usu. *Alia partialis* alicujus Ordinis susceptionem prohibens, vel alicujus suscepti usum.

Q. Quotuplex adhuc est irregularitas? R. una est ex delicto, quæ in peccati alicujus pænam fertur. *Alia ex defectu*, quæ provenit ab aliqua deformitate naturæ, vel operationis minus honestæ.

Q. Quæ sunt irregularitates ex delicto provenientes? R. 1. ex actu infidelitatis & hæresis. 2. Ex iteratione Baptismi. 3. Ex homicidio illicitè patrato. 4. Ex infamia. 5. Ex indebita susceptione vel usu Ordinis.

1. Irregulares ergo sunt Hæretici & Apostatæ à fide & eorum Fautores, & defensores, etiamsi sint occulti.

2do Contrahitur irregularitas propter Baptismum sivè publicè, sive privatè iteratum, tam à rebaptisante, quam à rebaptisato, & in hac solus Papa dispensare potest. Probabilius est quòd per iteratio-

iterationem Confirmationis, vel Ordinis non incurritur irregularitas, quia non est expressa in jure Zuar. Cast.

Q. An Laicus fiat irregularis, si extra necessitatem baptiset solemniter, aut si attentet aliquem Sacramentaliter absolvere? uti irregularis fit Clericus, qui non est Sacerdos, id faciendo? R. Alii affirmant, alii probabilius negant, quia de Laico nihil habetur in jure, sed hæc omnia dicuntur sub titulo de Clericis, odiosa enim non sunt extendenda.

3tio Clericus, aut alius justè mutilans, vel occidens aliquem, vel cooperans sive mandato, sive consilio ad mutilationem, vel homicidium secuto effectu fit irregularis defectu lenitatis, & mansvetudinis Christi, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere.

Q. Qui infirmo dat cibum vel potum, vel movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud bona fide operatur, ex quo mors, vel ejus acceleratio sequatur, an fit irregularis? R. negativè nisi intervenerit culpa lata. Hinc Sacerdotibus & Religiosis circa moribundos licent eadem quæ Laicis. Felix. Dia: Bon: &c.

4to Incurritur irregularitas ob enormia crimina, si sint notoria, & publica, quæque à jure habent annexam infamiam, talia sunt: Adulterium, raptus mulierum, publicum perjurium, sodomia, simonia, duellum, crimen læsæ majestatis.

Q. Quid intelligittur per ly *notoria & publica?* R. Notorium est, quod ita claré & evidenter constat, ut nullo modo negari possit estque 2plex: *Notorium juris* quod constat per juridicam sententiam,

tiam, vel per confessionem rei in judicio. *Et notorium facti* quod est publicum evidentia facti, id est ita se exhibens oculis magnæ partis alicujus communitatis, ut nulla tergiversatione celari possit.

5to Irregularitas incurritur ob violationem censuræ, ut si excommunicatus, vel suspensus actum Ordinis solemniter extra necessitatem exerceat. Si irregularis celebret non fit de novo irregularis, sed solum peccat mortaliter.

6to Incurritur irregularitas ob malam susceptionem Ordinis, ut si quis ordinatus sit in excommunicatione, vel suspensione, vel furtivè, aut ab Episcopo censurâ aliqua innodato.

Q. Quis furtivè Ordines suscipere dicitur? *R.* qui sine Episcopi ordinantis scientia, & voluntate non vocatus, nec legitimè examinatus, vel admissus cum aliis ordinandis se ingerit, vel nomen alterius approbati usurpando, accedit. Hæc irregularitas solùm impedit ascensum ad ordines.

Q. Qui exercet actum Ordinis sacri, quem non habet *vg.* canendo Epistolam cum manipulò absque Subdiaconatu; Evangelium cum stolà absquè Diaconatu, audiendo confessiones &c. absque sacerdotio, an fit irregularis? *R.* affirm.

Q. Si ordinaretur irregularis an valida esset Ordinatio? *R.* Affir; Ecclesia enim tantum reddit inhabilem ad ordines ritè suscipiendos vel, exercendos, non autem reddit absolutè incapacem.

De Irregularitate ex defectu.

Q. Quæ sunt irregularitates ex defectu provenientes? *R.* 1. Ex defectu animæ. 2. Ex defectu

fectu corporis. 3. Ex defectu natalium. 4. Ex defectu ætatis & libertatis. 5. Ex defectu mysterii quæ latet in Bigamia.

Q. Quæ est irregularitas ex defectu animi? R. defectus animi inducens irregularitatem triplex est. Nimirum defectus usûs rationis, literaturæ, & fidei. 1. Carentes usu rationis, uti dementes, amentes, qui tam jure humano, quàm Divino sunt irregulares. 2. Ex defectu literaturæ incapaces sunt ordinis, idiotæ, illiterati. 3. Defectus fidei irregularem facit, ita ut qui non est Baptisatus, non sit capax Ordinis.

Q. Quæ nam irregularitas provenit ex defectu corporis? *R.* ille defectus seu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit usum & exercitium Ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, sive hujusmodi vitium contractum sit ex culpa, sive sine culpa, sive ex causa naturali, sive accidentali, sive ex causa justa, sive injusta. Hinc irregulares sunt qui oculo lævo carent, cui deest nasus, aures, manus, vel pollex, irregularis est Hermaphroditus, monstrosus, surdus, Lunaticus, Energumenus, leprosus, claudus, gibbosus &c. quamdiu hoc morbo laborant.

Q. Quodsi aliquod vitium ex dictis ita sit occultum, ut nulla sit deformitas, nec scandalum, aut debilitas, an incurritur tunc irregularitas? *R.* non: Unde qui in pede caret pollice, aut digitos pedum habet deformes, quia hoc vitium non adfert debilitatem, talis non impeditur ab ordine.

Q. Quæ nam sit irregularitas ex defectu natalium? *R.* Irregularitas illa comprehendit omnes

mnes illegitimè natos, quicunq; ergo ex fornicatione, adulterio, ſtupro, ſacrilegio, nati ſunt: irregulares ſunt.

Q. Ob quam rationem hæc pæna introducta eſt? R. partim in deteſtationem ſceleris Paterni, partim ob turpitudinis notam quam Filius ex tali nativitate moraliter contrahere cenſetur, partim quia timetur, nè Filius paternæ incontinentiæ imitator exiſtat.

Q. Irregularitas ex illegitimitate proveniens quot modis tolli poteſt? R. 1. Per ſubſequens matrimonium inter eorum Parentes, modo hi tempore conceptionis potuerint validè contrahere. 2. Per profeſſionem religioſam, quamvis ad dignitates etiam in religione *vg.* Abbatiam Prioratum &c. promoveri non poſſit ſine diſpenſatione. 3. per diſpenſationem Pontificiam.

Q. Quænam irregularitas ex defectu ætatis? R. defectus legitimæ ætatis requiſitæ ad ordines inducit irregularitatem, quamdiu hic defectus durat. Qui autem ordinem S. ante legitimam ætatem ſuſcipere præſumeret absq; diſpenſatione, ipſo jure ſuſpenditur, & ſi illum exerceret omnino fieret irregularis.

Q. Qualis defectus libertatis inducit irregularitatem? R. 1. in conjugatis, niſi uterq; conjunx conſentiat. 2. In mancipiis perpetuis quæ omnimodâ ſunt deſtituta libertate. 3. In obligatis ad ratiocinia nimirum ad reddendam rationem adminiſtrationis publicæ, vel privatæ, iſti impediuntur ne ordines recipiant. iis tamen receptis uti poſſunt.

Q. Ergo conjugatus utpotè irregularis non poſſet licitè ordinari? R. poſſet, & quidem ſine

ulla

ulla dispensatione, sed cum consensu uxoris, ipsa autem tenetur emittere votum castitatis, vel Religionem ingredi. Viro autem sic ordinato, mortuo, uxor superstes non posset valide, nec licitè contrahere cum alio, sic enim Ecclesia statuit propter reverentiam Ordinis Sacri.

Q. Quæ nam irregularitas ex defectu Mysterii proveniat? R. Bigamia, quæ est status conjugati cum duabus conjugibus sive ante sive post baptismum ductis. De Bigamia superius jam dictum.

Reliqua de Irregularitate.

Q. An irregularitas per actum purè mentalem incurri potest? R. non, sed debet esse exterior consummatus, perfectus.

Q. In dubio an debet quis censeri irregularis? R. non, sive sit dubium juris, sive facti, itaq; dubitans an sit legitimus? censeri debet legitimus in utroq; foro. In dubio tamen injusti homicidii debet censeri irregularis, sic enim determinatur in *Can*: hoc tamen non debet extendi ad mutilationem, nec ad homicidium justum in defensionem factum.

Q. Cajus detulit aliqua judici officiosè in causa criminali contra Titium, pro quibus Titius morte punitus: an propterea Cajus sit irregularis? R. Si fecit protestationem, & si fictam, dummodo per externum actum expressam, etiamsi immediatè ante prolationem sententiæ, irregularitatem non incurrit, sin secus incurrit.

Q. Quomodo debet fieri protestatio coram judice? R. non est necesse quod fiat in scripto, sed potest fieri sola voce dicendo sic, vel similibus verbis: *Satisfactionem vel restitutionem posco*

exhiberi ab ipso, qui mihi damnum intulit, protestorq; me nullâ ratione intendere mortem, pœnam sangvinis, vel mutilationem illius.

Q. Quis valet dispensare in irregularitate? R. Jure ordinario solus Papa, quia irregularitates jure Ecclesiastico universali sunt constitutæ, in quo nemo inferior Pontifice potest dispensare. Dixi *jure ordinario* quia ex privilegio Trid: Ses. 24. Episcopi etiam possunt dispensare super omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario & Bigamia. Occultum autem censetur delictum, quod non est deductum ad forum contentiosum.

Q. An Confessarii in aliquibus irregularitatibus dispensare possunt? R. in nullis, nisi speciale privilegium habeant.

Q. Quid est dispensatio? R. est juris communis relaxatio facta cum causa justa, & rationabili, ab eo, qui jus habet dispensandi.

Q. Debetnè causa exprimi in dispensatione? R. debet, alias nulla redditur dispensatio.

Q. Ad quid inventa est dispensatio? R. ut esset pars justitiæ distributivæ, cum enim Legis lator facit legem communem omnes comprehendentem eveniunt multæ causæ propter quas naturalis ratio protunc non considerata, svadet factum illud non debere comprehendi sub illa generali determinatione.

Q. Per quid differt absolutio à dispensatione? R. *Absolutio* est sententia remittens delictum vel pænam. *Dispensatio* autem est exemptio ab obligatione alicujus legis, quâ *vg.* prohibetur accipere Ordines, qui aliquem occidit.

Q. Quæ ſunt cauſæ moventes ad diſpenſationem? *R.* multæ uti perſonæ neceſſitatis loci, temporis utilitatis Eccleſiæ, ætatis, ſcandali, majoris boni futuri, boni eventus rei, diſcretionis, pietatis, miſericordiæ, & religionis &c.

CAPUT VIII.

De Sacramentis in genere.

Q. Quid ſibi vult hoc nomen Sacramentum? *R.* nomen hoc ſumitur. 1. pro Juramento. 2. pro Amicorum Regumquè ſecreto. 3. pro Myſterio. Eſt autem Myſterium Res Divina occulta naturalem hominis conditionem excedens. Tandem ſumitur propriè pro ſigno rei ſacræ.

Q. Quid eſt Sacramentum? *R.* Eſt inviſibilis gratiæ ſignum viſibile ad noſtram juſtificationem divinitus inſtitutum S. Tho: Hæc definitio convenit etiam Sacramentis antiquæ Legis.

Q. Quæ eſt definitio Sacramentorum novæ legis? *R.* Sacramentum. Eſt res ſenſibilis ex inſtitutione Chriſti, habens vim Sanctitatis, ſivè gratiæ juſtificantis efficiendæ, & ſignificandæ.

Q. Ut res aliqua dici pōit Sacramentum, quæ requiruntur? *R.* 1. Ut ſit ſignum ſenſibile. 2. Cæremonia Sacra, ad cultum Dei inſtituta. 3. ut ſignificet veram Sanctitatem, & juſtitiam ex Dei inſtitutione. 4. Ut eandē operetur ex opere operato, id eſt uſu, ac virtute ſuâ & applicatione per propriam efficaciam, & non ex ſolo opere & vi operantis ſive per actum, ſeu devotionem, aut diſpoſitionem Miniſtrantis, vel ſuſcipientis, quæ & ſi ad effectum Sacramenti requiritur non tamen ut cauſa, ſed ut conditio, ſine qua non.

Q.

Q. Quæ veniunt conſideranda in omni Sacramento? *R.* Tria 1. Sacramentum ſolùm. 2. res ſola, 3. Sacramentum & res Sacramenti ſimul.

Q. Quid per hæc dicta intelligis? *R.* in exẽplo: Dum quis in peccato mortali recipit SS. Euchariſtiam recipit ſolùm Sacramentum, & non ipſam rem Sacramenti, ſcilicet quæ eſt refectio animæ ſpiritualis. Contra, rem Sacramenti precipiunt, qui & ſi corporea manducatione Chriſti Corpori non uniantur, Spiritûs tamen deſiderio id amplectentes, Dei munere reficiuntur, quod munus Aſcetæ communionem ſpiritualem vocare ſolent. Deniquè ille qui dignè cõmunicat, recipit utrumquè, ſcilicet Sacramentũ, & rem Sacramenti.

Q. Sacramenta ſuntnè utilia & neceſſaria? *R.* ſunt neceſſaria remedia ad animarum ſalutem recuperandam, vel tuendam.

Q. Nonnè Deus poteſt ſalvare hominem ſine Sacramentis? *R.* poteſt de potentia abſoluta, de potentià verò ordinaria non poteſt ſine aliquibus Sacramentis, ſaltem in voto, hoc eſt ut habeat ſaltem deſiderium, & voluntatem ea ſuſcipiendi.

Q. Quid eſt potentia Dei abſoluta & quid ordinaria? *R.* 1*ma* eſt quâ Deus poteſt facere, quid quid non implicat contradictionem 2*da* verò eſt quâ poteſt efficere quod ab æterno decrevit facere.

Q. Quâ neceſſitate neceſſaria ſunt Sacramenta? *R.* duo ſunt neceſſaria neceſſitate medii, videlicet: Baptiſmus reſpectu infantùm. Et Pænitentia vel in ſe, vel in voto reſpectu adultorũ, in peccato mortali exiſtentium. Alia ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, ut Sanctiſſima Eu-

chariſtiâ, Extrema Unctio, & Confirmatio. Duo verò ſunt conſilii: Ordo & matrimonium.

Q. Sacramentum qualium rerum eſt ſignum? *R.* Trium. Eſt ſcilicet rememorativum paſſionis Chriſti; demonſtrativum gratiæ, Et prognoſticon, ſeu prænunciativum vitæ æternæ.

Q. An Sacramenta novæ legis differunt à Sacramentis veteris legis? *R.* differunt 1. In externo ritu & Cæremonia. 2. vetera erant tantùm ſigna & figuræ noſtrorum Sacramentorum. 3. Vetera data erant ad certum tempus, noſtra verò durabunt ad conſummationem ſæculi. 4. Vetera gratiam, ſeu animæ ſanctitatem ſolùm figurabant, & ſignificabant, noſtra verò non ſolũ ſignificant, ſed etiam operantur, quamobrem ſunt ſigna practica, ſeu operativa gratiæ. 5. vetera per Moyſen, noſtra verò per Xtum inſtituta ſunt. 6. noſtra ſunt faciliora, ſi conferamus Baptiſmum cum Circumciſione.

Q. An validè in omni Idiomate conferri poſſunt Sacramenta? *R.* affirm. peccaret tamen graviter Miniſter, ſi extra neceſſitatem non ſervaret Eccleſiæ uſum.

De Numero & Diviſione Sacramentorum.

Q. Quot ſunt Sacramenta? *R.* 7. Baptiſmus. &c.

Q. Quis eſt Author Sacramentorum? *R.* Xtus Dominus Dei Filius.

Q. Quando Xtus inſtituit hæc Sacramenta? *R.* Baptiſmum inſtituit dum dixit Math. 22. *Euntes prædicate Evangelium &c.*

Confirmationem dum dixit: *Sedete in Civitate donec induamini Luc.* 24.

Eucha-

Euchariſtiam cùm dixit: *Accipite & manducate &c.* Math. 26.

Pænitentiam cùm dixit: *Accipite Spiritum S. &c.* Joan. 20.

Extremam Unctionem cùm Apoſtoli miſſi ſunt à Domino, ungebant oleô multos ægros &c. Mar. 8.

Ordinem cùm dixit: *Sicut miſit me vivens Pater ſic &c.* Joan: 20.

Matrimonium autem inſtituit, vel potiùs ad rationem Sacramenti elevavit, cùm dixit: *Quod Deus conjunxit &c.* Math. 19.

Q. Sacramenta unde vim habent & efficientiã ſuam? *R.* Ex paſſione, ac morte Chriſti Domini.

Q. Cur Sacramenta tantùm ſunt. 7. & non plura? *R.* Ob ſimilitudinem vitæ Corporalis, nam homo 1*mo* naſcitur. 2do augetur. 3. nutritur. 4. Si in morbum incidit, ſanatur. 5*to* Imbecilitas virium refocillatur. 6*to* Magiſtratus Authoritate regitur. 7*mo* per legitimam ſobolem propagatur. Ita Spiritualiter homo per Baptiſmum renaſcitur, per Confirmationem augetur, per Euchariſtiam alitur, ab infirmitatibus animæ, per Pænitentiam ſanatur, robur animi per extremam unctionem acquirit, per Ordinem regitur, tandem per Matrimonium propagatur.

Q. Sacramenta quomodo dividuntur? *R.* Alia ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ut jam dictum ſuperiùs. Alia ſunt *Iterabilia* quæ multoties iterari poſſunt. Talia ſunt Euchariſtia. Pænitentia, Extrema Unctio, Et Matrimonium. Alia *Initerabilia* quæ iterari non poſſunt, ideo imprimunt Characterem, & talia ſunt Baptiſmus Confirmatio & Ordo.

Alia Sacramenta sunt *Vivorum* quæ suscipi debent ab homine in gratia Dei existente, & talia sunt 5. Confirmatio, Eucharistia. Extrema Unctio Ordo, & Matrimonium, hæc Sacramenta instituta sunt ad secundam gratiam producendam, seu ad augmentum gratiæ.

Alia sunt *mortuorum* quæ suscipiuntur à spiritualiter mortuis, seu existentibus in peccato mortali, peccatum enim mortale est mors animæ, & talia sunt: Baptismus, & Pænitentia, quæ sunt instituta ad conferendam 1mam gratiam.

Alia sunt priora, alia posteriora, ratione diversi ordinis. Alia sunt priora ordine necessitatis, alia priora ordinè dignitatis. *Sic ordine necessitatis* Baptismus & Pænitentia prius est Sacramentum, quam Eucharistia. *Ordinè dignitatis est.* Eucharistia, quam Baptismus.

Alia vocantur *Formata* quæ in suscipiente habent suum effectum, & causant gratiam. Alia *Informia* quæ quidem validè suscipiuntur, effectũ suum tamen non habent, ob peccatum in suscipiente existens, vel ob indebitam dispositionem, seu præparationem.

Sacramentũ aliud vocatur *permanens* uti Eucharistia. Aliud *Transiens* quod præcipuè consistit in actione, quæ physicè transit: utì Pænitentia &c.

De Essentialibus Sacramenti.

Q. Quæ sunt essentialia constitutiva Sacramenti? R. materia, forma, & intentio, nam sicut compositum physicum constat 3bus materia forma, & unione, sic compositum morale habet tria constitutiva, scilicet rem, tanquam materiã, verba tanquam formam, & intentionem ministri tanquam unionem, materia & forma habet se ut quod, intentio verò ministri, ut quô. Q.

Q. Quotuplex eſt materia Sacramenti? R. 2plex 1. *Remota* eſt circa quam verſatur actio Sacramentalis. *Proxima* verò, eſt, ex qua fit Sacramentum additâ formâ.

Q. Quæ in particulari eſt materia remota omnium Sacramentorum? R. in Baptiſmo aqua, in Confirmatione Chriſma, In Euchariſtia panis, & vinum, in Pænitentia peccata, in Extrema Unctione Oleum benedictum, in Ordine, res, quæ traditur Ordines ſuſcipienti, in Matrimonio Perſonæ contrahentes.

Q. Quæ eſt materia proxima? R. in Baptiſmo ablutio,inConfirmatione, & ExtremaUnctione, unctio; In Euchariſtia poſitio ſpecierum panis, & vini, abſquè propria ſubſtantia, in Pænitentia, actus pænitentis ſcilicet dolor & Confeſſio, In Ordine traditio materiæ remotæ, tandem in Matrimonio, corporum traditio.

Q. An materia & forma à Xto ſunt determinatæ? R. non ſunt uniformiter in omnibus Sacramentis determinatæ à Xto, ſed in uno eſt determinatio ſecundum individuū. Sic pro materia partiali in Euchariſtia determinatum eſt hoc individuū Corporis, & Sangvinis Xti. In aliis ſecundum ſpeciem: ſic in Baptiſmo determinata eſt ſpecies infima aquæ naturalis. In aliis ſecundum genus, ſic in Pænitentia dolor in genere communis contritioni, & attritioni, peccatū in genere &c. Pro Ordine aliquid in genere ſignificativum poteſtatis quæ confertur &c.

Quod ad formas attinet hæ in 6. primis Sacramentis ſunt determinatæ ad ſignificationem ſtrictè verbalem in 5. 1mis Sacramentis ſunt quoad ſignificationem determinatæ ad ſpeciem infimam in Ordine ad genus tantùm, in Matrimonio tantum

tum

tùm ad genus ſigni externi, nam forma, poſſunt eſſe verba, vel formalia, vel æquivalentia, uti ſunt ſcriptio, nutus, quæ inter ſe ſpecie diſtingvuntur. Ratio horum omnium à priori eſt voluntas Xti inſtituentis, quam reſcimus, tum ex Doctrina SS. PP. Conciliorum, tum ex praxí Eccleſiæ.

Q. An Eccleſia poteſt mutare materiam, vel formam Sacramentorum? *R.* ſecundum quod determinatæ ſunt à Xto non poſſunt mutari ab Eccleſia proximè, & formaliter; id eſt directè tollendo, ſeu non retinendo prædicatum illud, in materia, vel illam ſignificationem in forma, quã Xtus in illis eſſe voluit. Poteſt Eccleſia mutare remotè, & materialiter ſubſtantias Sacramentorum, dummodo illa quæ ab Eccleſia ſubſtituuntur retineant prædicatum illud, & illam ſignificationem, quam Xtus in eſſe voluit. Sic Eccleſia appoſuit aliquas conditiones certas Sacramentis, uti contractui Matrimonii (*ne ſit clandeſtinus.*) præſentiam Parochi, & duorum ſaltem teſtium. Pænitentiæ approbationem per hoc tamen non mutavit materiam, & formam propriè, & formaliter, niſi impropriè, & remotè, inquantum materia vg. Matrimonii conſenſus, qui fuit antea validus ſine hac conditione, nunc fit invalidus Interim materia nunc eſt eadem, quæ fuit antea

Q. An materia mutata redderet Sacramentum invalidum? *R.* 2plex poteſt eſſe mutatio materiæ: *Subſtantialis* quando 2dum communem uſum, & æſtimationem differt nomine, & re, ab ea, quam Xtus inſtituit, & quâ Romana Eccleſia utitur, ut ſi quis baptiſaret aquâ artificiali, ex floribus & herbis expreſſa, eſſet materia ſubſtantia-

liter

liter mutata ab aqua pura Elementari. *Accidentalis* verò mutatio dicitur, quando manet eadem materia ædum speciem physicam, mutatur tamen ad aliqua accidentia, ut si ad baptismum assumatur aqua calida, vel non benedicta. Mutatio substantialis materiæ reddit Sacramentum invalidum, secus accidentalis.

Q. An validè quis baptisari potest nive aut glacie? *R.* negat: quia & si nix, & glacies sint materia mutata solùm accidentaliter physice, sed Theologicè est mutata substantialiter, nequit enim abluere corpus. nisi liquefiat.

Q. Utens in conficiendis Sacramentis materiâ & formâ dubia an peccat? *R.* seclusâ necessitate, peccat mortaliter, cùm se exponat periculo efficiendi Sacramentum invalidum, quod est species Sacrilegii.

Q. An possunt Sacramenta sub conditione administrari? *R.* si conditio sit de præterito, vel de præsenti possunt, cum talis conditio Sacramenti effectum non suspendit. Non possunt autem administrari sub conditione de futuro, nam Sacramentum sub tali conditione dum administraretur, non esset validum, cum Minister tunc non intenderet ipsum conficere, nec etiam validum esset conditione adimpleta, quia materia & forma tunc jam non existerent.

Q. Materia quomodo debet esse præsens Ministro? *R.* moraliter ita ut oculis cerni, & manibus tractari possit: non est tamen necessaria actualis visio, vel tractatio.

De Forma Sacramentorum.

Q. Quotuplex est forma Sacramentorum? *R.* 2plex. *Absoluta* quæ sine ulla adjunctione profertur.

fertur. Et *conditionata* quæ ſub conditione pronuntiatur.

Q. Quæ forma Sacramentorum eſt conditionata? R. in Sacramento Pænitentiæ *Abſolvo te, ſi es capax &c.* In Baptiſmo *ſi es baptiſatus ego te non baptiſo ſi non es baptiſatus ego te baptiſo &c.*

Q. Quotuplex poteſt eſſe mutatio formæ? R. 2plex *Subſtantialis* quando non manet id in ſenſus verborum formæ à Xto inſtitutæ, ut ſi in forma Euchariſtiæ, loco verborum: *Hoc eſt Corpus meum* dicas: hoc ſignificat Corpus meum. *Accidentali* quando manet idem ſenſus ſed verba duntaxat mutantur ut ſi dicas: *Hæc res eſt Corpus meum.* Hæc mutatio formæ reddit Sacramentum invalidum; ſecus ſecunda.

Q. Quot modis contingere poteſt variari formam? R. 8. 1. Additione ut cum dicitur: *Ego te babtiſo in nomine Patris, qui te creavit &c.* 2. Diminutione vg. *baptiſo te*, omittendo ly *ego*. 3. Transpoſitione vg. *Ego te baptiſo in Filii Patris &c.* 4. Interpellatione vg. *Ego te baptiſo* & caſu interponendo: *amove manum &c.* 5. Corruptione vg. *Ego te baptiſo in nomine Patria &c.* 6. Per verba æquivoca. 7mo Per verba Synonima. 8vo Per idiomatis mutationem, ut ſi loco latinæ lingvæ, utaris Gallicâ vel Polonica.

Q. An & quale eſt peccatum mutare formam? R. Peccatum ex quacunquè mutatione admiſſum, eſt Sacrilegium, & ex genere ſuo mortale, veritatem formæ, aut Sacramentum dubium reddit.

Q. An loco verborum, formæ poſſunt adhiberi in Sacramentis ſcriptura, nutus, vel ſigna? R. non poſſunt, cum hæc à Xto non ſunt inſtituta.

tuta. Excepto Sacramento Matrimonii, quod ci. sit quidam contractus, potest celebrari nutibus, quibus contrahentium animus manifestatur.

De Intentione.

Dictum quidem jam est de intentione, ubi non videtur hoc loco tacendum esse quod valdè servire potest scrupulis discutiendis nempè: quod intentio actualis 2plex sit, alia *directa* & exercita alia *reflexa*, & velut signata. *Directa* est quando aliquis verè, & explicitè habet voluntatem faciendi id, quod facit, sed non advertit per alium actum reflexum se habere talem voluntatem, & hoc modo communiter se habent omnes operationes nostræ liberæ, quas volentes facimus, qui enim studet, dum studet, haberet voluntatem studendi; & qui loquitur, habet voluntatem loquendi, etiamsi non cognoscat alio actu reflexo se habere hanc voluntatem, facilè tamen id cognosceret, si reflecteret cognitionem suam supra id, quod facit

Actualis autem reflexa dicitur, quando quis reflectit cognitionem suam ad id, quod facit, sed hâc reflexa intentione, non est opus, & ideò dixi hanc doctrinam servire scrupulis discutiendis, quia aliqui non raró anguntur, putantes se non habuisse actualem intentionem in conficiendis, vel suscipiendis Sacramentis ex eo, quia non habuerunt illam reflexam, quam non distingvunt à directa, & ita confugiunt ad intentionem virtualem, & facilè etiam dubitant, an hanc habuerint cùm revera habuerint actualem.

Q. Intentio coacta redditnè validum Sacramentum? R. Affr: Matrimonio excepto hoc enim vult libertatem perfectiorem. Q. An

Q. An intentio Ministri debeat versari circa materiam determinatam aut personam certam? R. Affir: quia intentio Ministri ferri debet in id quod à formis Sacramentorum determinatur. At illæ materiam, vel Personam determinant, ergo &c.

Q. An validus esset Baptismus, si quis baptisaret puellam putans esse puerum? vel an validé talis absolveret Petrum putans indubitanter esse Paulum? Affr: nam hæc ordinaria, & usitata est, & esse debet intentio, ut baptisetur, v. absolvetur &c. subjectum, aut materia, quæ capax est, aut præsens, dum super eam forma profertur: quam proinde intentionem unus quisquè servare censetur, nisi eam expressè excludat. Error ergo Ministri circa Personam quæ Sacramentum suscipit, per se loquendo non obstat valori, nisi tantùm in Matrimonio.

Q. Quid præter dicta requiritur ad conficienda validè Sacramenta? R. Attentio interna, sive advertentia, & applicatio aliqua animi ad hoc, quod facit, alioquin confectio Sacramenti non esset actio humana, nec posset dici facta in Persona Christi.

De Ministro.

Q. Quis est Minister Sacramentorum? R. ordinariè solus homo Viator.

Q. Angelus, vel Dæmon valentne conficere Sacramenta? R. Neg: quia nequeunt propriè & vitaliter formam Sacramentorum pronuntiare, tum quia non sunt ad hoc à Xto, ut ministri deputati. Idem dici potest de anima separata, quia licet retineat characterem, revera non est homo.

Q.

Q. Quotuplex poteſt eſſe Miniſter Sacramentorum? *R.* 2plex. 1. *Solemnitatis*, ſive ex officio ille eſt, qui conficit, aut adminiſtrat ſpecialiter ad hoc deputatus. & conſecratus. 2. *Et neceſſitatis* qui ſine deputatione ſpeciali Sacramenta conficit, ſic Miniſter Baptiſmi poteſt eſſe fæmina, Judæus &c.

Q; Probitas in Miniſtro ſeu ſtatus gratiæ requiriturnè ad valorem Sacramenti? *R.* in Miniſtro ad id ordinato, & conſecrato requiritur, non tamen ad valorem Sacramenti: quia Sacramenta conferuntur virtute Divina, ſed ad dignam adminiſtrationem, quia Sancta ſanctè tractanda ſunt: Peccat ergo Miniſter ſolemnitatis per ſe loquendo toties, quoties ſolemniter conficit, vel adminiſtrat Sacramenta in peccato, quia ſpecialiter ad id deputatus eſt. Secus Miniſter neceſſitatis. *Dixi per ſe loquendo* nam ſi adſit neceſſitas vg. abſolvendi moribundum, nullum eſt peccatum uti S. Th. docet.

Q. Qui nam ritus ſervari debet à Miniſtro in adminiſtrandis Sacramentis? *R.* 2plex ſervandus eſt ritus Alter præſcriptus à Xto, cum Sacramenta inſtituit, nimirum materia, forma, & intentio. Alter præſcriptus ab Eccleſia, & ſunt cæremoniæ externæ, quæ adhibentur in Sacramentis adminiſtrandis.

Q. Uterquè ritus eſtnè neceſſariò ſervandus? *R.* Affr: cum hac tamen diſtinctione. quod prior ſervandus eſt ex neceſſitate Sacramenti, poſterior verò ex neceſſitate præcepti, ob majorem rei Sacræ ſignificationem, vel Miniſtri ornatum.

Q. An & quomodo peccat Miniſter ſi in adminiſtrandis Sacramentis contemnat, negligat,

vel

vel omittat, vel mutat ritus ab Ecclesia præscriptos. R. Si Minister contemnat ritus ab Ecclesia præscriptos, semper delinquit mortaliter si tantùm est negligens circa cæremoniarum observationem delinquit graviter, vel leviter juxta advertentiam ad culpam gravem, vel levem. Secluso verò contemptu vel scandalo, omissio vel variatio rituum est venialis, vel mortalis pro gravitate, vel levitate materiæ.

Q. An duo Ministri possunt conficere unum & idem Sacramentum? R. 1. in Matrimonio duo Ministri sunt necessarii ad administrationem unius Sacramenti, quia natura talis contractûs ita exigit, ut scilicet unus tradat alter accipiat.

2*do* In Ordinatione ad Presbyteratum, si duo, vel plures cum Episcopo proferant, & simul finiant formam super eandem materiam, omnes simul conficiunt unum Sacramentum.

3*tio*. In aliis Sacramentis unus tantum debet esse Minister. Unde in Baptismo si unus funderet aquam, alter proferret formam esset invalidus, quia forma non verificaretur. Excipienda tamen est Extrema unctio, quæ cum plures formas partiales habeat, validè possunt proferri à pluribus Ministris, & licitè in casu necessitatis. In Eucharistia quoquè saltem valide potest unus Sacerdos consecrare hostiam, & alter calicem. Zua. Bon.

Q. Si Minister omittat aliquod non essentiale putans esse essentiale, an conficeret Sacramentũ? R. Neg: non quidem ratione erroris, sed defectu intentionis quia voluntas conficiendi Sacramentum non stat cum voluntate omittendi aliquid quod putat esse essentiale. Si tamen haberet

intenti-

intentionem generalem, & quasi conditionatam faciendi per verba quid quid per illa fieri posset, hæc prævaleret & sufficeret.

Q. An omnes qui possunt validè possunt, & licitè administrare Sacramenta? *R.* Neg: quia aliud postulabat rectum regimen Ecclesiæ, & ideo etiam à Xto instituti sunt diversi Ordines Ministrorum. Non omnes ergo Sacerdotes licitè ministrant Sacramenta quibuscumquè, sed tantũ illis, in quos jurisdictionem aliquam habent, vel ordinariam, vel delegatam. Item debet carere censurâ, debet esse in gratia &c.

Q. An per Sacramentum causatur mojor gratia si Minister sit dignior, seu magis probus? *R.* quantum ex vi Sacramenti, sive ex opere operato, non causatur major gratia, rectè tamen docet *Caj.* quod possit Minister dignior opere, vel Oratione sua mereri, aut impetrare suscipienti majores gratias, sed hoc per accidens se habet ad Sacramentum.

Q. An Minister licitè potest uti materiâ vel formâ dubia? *R.* perse loquendo non licet quando haberi potest certa. Dixi perse loquendo nam si Ministro intentaretur mors nisi materiam & formam dubiam adhiberet non in contemptum fidei sed quia minans putaret materiam vel formã talem esse sufficientem, vel satis certam. *Dixi quando potest haberi certa.* Nam in necessitate potest uti dubiâ, & inter dubias, adhibenda illa est, quæ videtur probabilior.

Q. Quando nam Minister reiterare debet Sacramentum? *R.* quando prudens dubiam est de ejus valõre, debet reiterari saltem sub conditione. Quando nulla est prudens causa dubitandi

de

de valore Sacramenti, ſed oriuntur tantùm leves ſcrupuli, ne quidem conditionatè eſt iterandum.

Q. Si unum verbum, vel una ſyllaba formæ Sacramentalis repetatur, ſinè rationabili cauſa, an eſt peccatum? *R.* Eſt ſaltem veniale: In dubio tamen ubi Miniſter non eſt ſcrupuloſus, docet Vasq. Gob. potiùs inclinandum eſſe ad repetitionem faciendam, quàm omittendam, quia ſic conſulitur valori Sacramenti, & utilitati ſuſcipientium.

Q. Si quis ut ſe liberet ſcrupulô repetat formam ſub conditione an peccat? *R.* cum Lean: Gob: Fan: &. venialiter poſſet peccare, quia quando ſic agit anxiè ex metu, ne offendat Deũ, non videtur gravem irreverentiam inferre Sacramento.

Q. In dubio an protulerit formam Miniſter. vg. an re ipſa conſecraverit non debet repetere formam? *R.* Si hoc dubium oriatur ex eo, quia cùm iam proceſſerit longiùs, non recordatur ſe protuliſſe, aut quia non habet poſitivum fundamentum judicandi ſe protuliſſe, non ideo poterit repetere, ſed debet pergere ſupponendo ſe bene feciſſe omnia, ſi alias errare non ſolebat. S. Tho: q. 83. Suar: &c.

Q. An Sacramentum licitè miniſtrari poteſt indigno? *R.* Miniſter per ſe loquendo peccat mortaliter, ſi Sacramentum miniſtret indigno, id eſt illi qui validè quidem ſuſciperet, ſed ſine effectu gratiæ. Quia lex naturæ dictat, ut qui ex Officio eſt diſpenſator bonorum Domini, diſpenſet fideliter id eſt dignis. 2. Virtus Religionis obligat, poſtulans caveri irreverentiam inferre Authori Sacramentorum. & Sacramento. 3. Lex etiam charitatis prohibet cooperationem ad peccatum proximi. Dixi

Dixi *per se loquendo* nam aliquando excusant damnum grave ministrantis, infamia suscipientis, aliorum scandalum, & sigillum Confessionis.

Q. An Minister ob metum gravem licitè simulare potest administrationem Sacramenti ? *R.* Neg. Contraria damnata ab Inn: XI.

Q. An est simulatio Sacramenti quando Sacerdos locò Absolutionis indisposito dandæ Orationem solùm dicit, & crucem format ? *R.* Minimè, nam pænitens tunc scit se non absolvendum fore, consequenter non decipitur. *Simulatio* enim est positio signi de se indifferentis ad plura, cum prævisione, quod aliquis per illud sit decipiendus, eò quod accepturus sit illud in sensu, qui non est verus.

De Subjecto seu suscipiente.

Q. Qui capax est recipere Sacramentum ? *R.* Solus homo viator cum tantùm ad ejus salutem, peccatique remedium Sacramenta sunt ordinata. Angeli, utpote Spirituales sunt incapaces Sacramentorum, quia Sacramentum est aggregatum ex rebus, & verbis, quæ res, cùm sint materiales non competunt rebus Spiritualibus. Tùm quia non sunt viatores. Mus vg. Hostiam consecratam comedens materialiter & non Sacramentaliter reciperet Sacramentum.

Q. Quæ dispositio requiritur in suscipiente Sacramentum ? *R.* ad valorem Sacramenti in adultis requiritur intentio, seu voluntas suscipiendi, sive illa intentio sit formalis, sive virtualis, sive interpretativa. Hinc sequitur hominem omnino invitum invalidè Sacramentum recipere exceptâ SS. Eucharistia, quæ validè susciperetur, sed sine fructu. *Q. Sufficitne ejusmodi dispositiò*

etiam ad fructum? R. non, sed præterea ad fructum, & effectum in Sacramento Baptismi, & Pænitentiæ requiritur saltem attritio supernaturalis. Ad reliqua verò Sacramenta requiritur, ut suscipiens sit in gratia.

Q. Intentio ad valorem Sacramenti requisita in adulto suscipiente an debeat esse uniformis? R. Neg: nam ad Baptismum sufficit habitualis, imò secundum quosdam sufficit implicita tantùm, contenta in contritione, vel attritione. 2. ad Confirmat: sufficit habitualis, forte etiã interpretativa, non solet tamen sensibus destituto dari, quia non est ita necessaria, & debet cum majori solemnitate conferri. 3. Ad Eucharistiã: requiritur saltem habitualis, in moribundo plurimi docent sufficere interpretativam, præsertim si ante confessus sit, quamvis a mente sit amotus, dummodò absit periculum irreverentiæ.

4. Ad Pænitentiam requiritur saltim habitualis, & sufficit implicita seu interpretativam, dum modò dolorem aliquo signo externo expressisset quod signum esset locò Confessionis. 5. Ad Extr: Unct: sufficit interpretativa, hinc potest dari lapso in amentiam, quamvis nihil sciverit de Ext: Unct: Cur autem Intentio interpretativa sufficiat potius ad 4. dicta Sacramenta, quam ad alia, *ratio est*, quia dicta. 4. Sacramenta minùs oneris afferunt secum, ergo faciliius præsumitur volitio generalis habendi talia bona, alioquin non facile obtinibilia.

6. Ad Ordinem non sufficit interpretativa, cùm enim Ordo sit immutatio totius status, afferatque gravia onera illi qui illũ adultus suscipit, neque sit necessarius ad salutem ex eo, quod aliquis volitione generali velit sibi media ad salutem,

non ideo vult Ordinem. Gob: & Dicas: putat sufficere implicitam. 7. Ad Matri: etiam non sufficit interpretativa, ob rationem immediatè datam. Quandoque tamen sufficit habitualis.

De Effectu Sacramentorum.

Q. Quotuplex est effectus Sacramentorum? *R.* 2plex: alter communis omnibus Sacramentis, qui est gratia sanctificans, alter peculiaris trium Sacramentorum sci: Bapt: Conf: & Ordinis character. Conferunt etiam Sacramenta cum gratia sanctificante virtutes Theologicas, & Morales, ac dona Spiritus Sancti.

Q. An Sacramenta omnibus æqualem gratiam conferant? *R.* Sacramenta æqualem gratiam omnibus suscipientibus conferunt, si æqualiter dispositi sint, secùs si inæqualiter: nam secundū bonam suscipientis, præsertim actualem dispositionem, devotionemque, gratia uberior confertur.

Q. Quid est Gratia? *R.* Gratia sumitur 1*mo* pro quocunque beneficio sive naturali sive super naturali. 2*do* pro solis beneficiis supernaturalibus, sive ex meritis Christi, sive ex sola liberalitate Dei collatis, qualis est ea, quæ tum primo Adamo, tum secundo, id est Christo collata est. 3*tio* strictissime & propriè accipitur pro beneficiis supernaturalibus ex merito Christi collatis, sic accepta: est quoddam donum seu qualitas supernaturalis, nobis à Deo gratuitò infusa ad consequendam vitam æternam.

Q. Quotuplex est Gratia? *R.* Multiplex 1*mo* dividitur in *Inhærentem*, quæ in nobis est, & *non Inhærentem*, quæ extra nos est, uti Incarnatio Verbi Dei, miracula &c.

Q. Gratia inhærens quomodò dividitur? *R.*

1mo in gratiam gratis datam 2do & in gratiam gratum facientem. Quamvis utraq; gratia sit gratis data, tamen peculiari ratione sortitur hoc nomen, non alia.

Q. Quænam est Gratia gratis data, & Gratia gratum faciens? R. Prima est quæ præcipuè nobis datur ad aliorum salutem, & utilitatem. vg. donū Prophetiæ lingvarum, miraculorum. &c. Secunda est, quæ nobis confertur ad nostram salutem, & utilitatem.

Q. Gratia gratum faciens quomodo dividitur? R. in habitualem & actualem. Prima est habitus permanens, & animæ infusus, per quem homo Deo gratus efficitur; ista est motio quædam, & auxilium Dei, quo homo ad operationes, quæ ipsius aliquomodo superant vires, eliciendas adjuvatur. Subdividitur *in Excitantem* quæ nihil aliud est, quàm illustrationes Divinæ ad bene operandum excitantes. Et *in adjuvantem* cujus nomine cooperatio, & protectiò divina intelligitur.

Q. Quomodò adhuc dividitur gratia actualis? R. 1. *in prævenientem*, quia prævenit liberum voluntatis consensum. 2do in *Concomitantem* quatenus una cum voluntate influit sive moraliter, sive Physicè in actum. 3tio in *Subsequentem* quia subsequitur prævenientem, seu excitantem concurrendo effectivè cum voluntate ad eliciendum boni operis consensum.

Q. Hæc gratia actualis estnè effectus Sacramentorum? R. Præcipuus effectus est gratia habitualis, quæ formaliter animam sanctificat, nisi pònatur obex. Nihilominùs in singulis Sacramentis dari auxilia specialia gratiæ actualis ad finem Sacramenti ordinata, docet S. Thom.

Q. Quæ

Q. Quæ ſunt illa ſpecialia auxilia ad finem Sacramenti ordinata? *R.* 1*mo* in Bapt: confertur peculiaris qualificatio ad reliqua Sacramenta dignè ſuſcipienda. 2*do* in Confir: ad fidem publicè confitendam & contra inimicos Eccleſiæ defendendam. 3*tio* In Euchar: Spiritualis delectationis & devotionis augmentum, v. auxilium ad vincendas tentationes. 4. In Sacramento Pænitentiæ dantur auxilia ad perſiſtendum in gratia. 5. In Extr: Unct: robur contra tentationes dæmonum, qui in extremis nos in deſperationem ducere conantur. 6. In Sacramento Ordinis dantur auxilia ad bene fungendum ſuo officio. 7. In Matrim: denique confertur peculiare auxilium ad mutuum conjugum amorem fovendum, ad fidem conjugalem ſervandã, & ad proles rectè educandas.

Q. Quotuplex adhuc eſt gratia habitualis? R. duplex ſcil: prima, & ſecunda gratia.

Q. Quæ eſt differentia intèr has gratias? R. Nulla, una enim & eadem eſt gratia, quæ modò vocatur prima, modò ſecunda. Vocatur *prima* quando primò confertur homini, gratiâ carenti ſecundùm menſuram diſpoſitionis, quâ non ſupponit aliam. Dicitur verò *ſecunda*, quando datur homini in gratia exiſtenti, ſecundùm menſuram meriti, quia ſupponit primam, & alio nomine nuncupatur augmentum.

Q. An Conferunt omnia Sacramenta primam gratiam? *R.* Cum Communi affirmativè, quià omnia Sacramenta ſunt inſtituta ad conferendam gratiam eamque conferunt non ponentibus obicē; Baptiſmus quidem & Pænitentia primariò & per ſe, reliqua verò Sacramenta ſecundariò & per accidens, ſcilicet ſi ea ſuſcipiens habeat obicem inculpabilem.

Q. Quæ eſt poſtrema diviſio gratiæ? *R.* In *ſufficientem* quæ poteſt quidem habere effectum, re ipsâ tamen non habet. Et in *Efficacem* quæ effectum habet in nobis.

Q. Quomodo Sacramenta operantur gratiam? *R.* Sicut duplex eſt genus efficientis cauſæ, ſcil: Phyſicæ, & moralis; ita duplex eſt Doctorum opinio. Quidam tenent Sacramenta producere gratiam in genere cauſæ Phyſicæ inſtrumentalis, alii in genere cauſæ moralis tantum.

Q. Explicet quæ ſit cauſa Phyſica, & quæ moralis? *R.* Cauſa efficens *Phyſica* eſt illa, quæ per ſuam virtutem, & realem influxum producit effectum. *Moralis* quæ non attingit effectum ſuâ virtute, & influxu, ſed movet cauſam Phyſicam ad operandum, ratione cujus motionis operatio, & effectus cauſæ Phyſicæ adſcribitur, & imputatur cauſæ morali moventi.

Q. An poſſit homo velle, aut facere bonum aliquod ſine gratia, intellige actuali? *R.* Nemo ſine ſpeciali Divinæ gratiæ auxilio poteſt velle, aut perficere opus bonum quod ad ſalutem æternam conſequendam conferat.

De Merito.

Q. An poſſit homo aliquid à Deo mereri? *R.* Poteſt verè, & propriè.

Q. Quid eſt meritum? *R.* eſt obſequium Deo factum, ex ſe potens movere Deum ad dandum præmium ſupernaturale.

Q. Quotuplex eſt meritum? *R.* duplex meritum *de condigno per* quod intelligitur meritum illud, quod mercede ac præmio ex ſe dignum eſt, cui ex quadam juſtitia debetur merces, ac præmium. Et meritum *de Congruo* per quod intel-

ligitur

ligitur quod quamvis mercede non ſit ex ſe dignum, illi tamen ex decentià quadam, & congruitate debetur.

Q. Quænam conditiones requiruntur ad meritum? R. 1. Ex parte operantis requiritur, ut ſit in ſtatu gratiæ, 2. ut ſit in ſtatu viæ. Ex parte operis requiritur. 1. ut ſit actus poſitivus, ſcil: opus aliquod bonum, nam actus negativus, id eſt omiſſio peccatorum non poteſt dici meritum. 2. ut ſit, actus ſupernaturalis, liber, ut ſit ſive ex motivo ſupernaturali elicitus; ut ſit actus dignificativus â gratia ſanctificante. 3. Ut fiat cum aliqua difficultate ſuperanda.

Q. Per quid differt meritum ab impetratione, & ſatisfactione? R. Quia impetratio movet ad aliquid obtinendum permodum ſubmiſſæ petitionis. Satisfactio eſt quædam redditio æquivalens injuriæ.

De Sacramentalibus.

Q. Qaid intelligit per ly Sacramentalia? R. Intelligo res, vel actiones ſacras, quibus, non quidem uti per Sacramenta ex opere operato, ſed tantùm ex oratione, & conſtitutione Eccleſiæ, ac opere operantis cum meritis Chriſti unito, obtinetur remiſſio peccatorum, ſunt autem. 6. ſequenti verſu expreſſa.

a. Orans, *b.* tinctus, *c.* edens, *d.* confeſſio, *e.* dans, *f.* benedicens.

a. Oratio Dominica, vel illa quæ fit in Eccleſia conſecrata. *b.* aqua benedicta. *c.* intelligitur eſus Eulogiorum olim in uſu, vel panis, aut vini benedicti. *d.* generalis confeſſio. *vg.* Confiteor Deo &c. *e.* Eleemoſyna, aut etiam alia opera miſericordiæ, *f.* benedictio vel ab Epiſcopo, *v.*

Abbate

Abbate consecrato data. Huc revocantur multæ actiones sacræ, ut: Exorcismi, insuflationes, Prima Tonsura, &c.

Q. Per Sacramentalia quæ peccata remittuntur? *R.* Ex Traditione Ecclesiæ remittuntur venialia, sed solùm ut dixi ex opere operantis, quatenus inclinant animam nostram ad pænitentiam, quæ est directe remissiva peccatorum.

Q. An Sacramentalia habent hanc causalitatẽ infallibiliter? *R.* non, quia non fundatur in promissione facta ex parte Dei, sed tantùm fundatur in impetratione Ecclesiæ. Causant etiam aliquando Sacramentalia, beneficia corporalia *vg.* sanitatem; item remissionem peccati venialis, & pænæ ipsi debitæ; expulsionem Dæmonum, & fugam eorum, ne noceant, ex opere operato quidem; sed moraliter tantùm, movendo Deum, ut ad præsentiam Sacramentalium, intuitu precum, Ecclesiæ causet prædictos effectus.

Q. Qui aquâ utitur non benedictâ putans esse benedictam, an obtinet remissionem venialium? *R.* Non, quia talis aqua non est Sacramentalis.

Q. Si Oleum, vel aqua non benedicta infundatur benedicto, an totum illud erit benedictum? *R.* Affr: modò id, quod addatur non sit in quantitate excedente.

Q. Quomodo peccat qui suscipit, vel administrat Sacramentalia in peccato mortali? *R.* Probabilius quod venialiter.

Q. Quomodo peccat qui Sacramentalibus falsam materiam supponit *vg.* pro benedicta cera, non benedictam, vel aquam simplicem, pro benedicta? *R.* Mortaliter. Comm: DD. docent.

CAPUT

CAPUT IX.

De Majoribus Ordinibus.

Quot sunt? & cur vocantur sacri dictum est, ubi de Minoribus Ordinibus, hic aliqua adjiciuntur.

Q. Requiriturne certa ætas ad validè suscipiendos Ordines? *R.* Non, sed tantùm ad licitè suscipiendos.

Q. Episcopus potestne dispensare in ætate, tam ad Ordines, quam ad Beneficii assecutionem? *R.* non, nisi de licentia Papæ Const: Pii V.

Q. Quibus temporibus Ordines S. conferri possunt? *R.* Ordinariè conferri solent his 6. temporibus scil: Sabbathis Quatuor Temporũ, Sabbatho ante Domini: Passi: & Sabbatho Sancto, nisi Episcopus habeat gratias à Sede Apostolica.

Q. Possuntne eâdem die conferri duo Ordines? *R.* Omnes Minores Ordines possunt conferri, etiam ex rationabili causa cum Subdiaconatu. Duo verò Majores non possunt conferri nisi Papa dispensaverit. Sunt ergo servanda debita interstitia.

Q. Quæ dicuntur Interstitia? R. tempus quod debet intercedere, à susceptione unius Ordinis ad alterius susceptionem.

Q. Quantum tempus requiritur, à susceptione unius Ordinis ad alterius susceptionem? *R.* Annus integer.

Q. In servandis interstitiis attendendusne annus Mathematicus, id est integer quò ad diem? *R.* Non attenditur annus Mathematicus, sed secundùm morem Ecclesiæ *vg.* à quatuor Tempo-

ribus

ibus præcedentis æstatis, ad Quatuor sequentis.

Q. Qui non servat interstitia ab Ecclesia statuta, quam pænam incurrit? *R.* Suspenditur ab executione posterioris Sacri Ordinis, si malâ fide, & sine dispensatione Episcopi suscepit. Qui deinde, si ministret in ordine, fit irregularis a solo Papa dispensandus, si delictum sit publicum; si occultum Episcopus dispensare potest *Nau.*

Q. Quis nam potest dispensare in interstitiis? *R.* Episcopus quò ad suos subditos, existente rationabili causâ.

Q. Episcopus enuntiare facit se non intendere ordinare Excommunicatum irregularem, nec furtivè accedentem ad Ordines, quæritur, an si quis, ex dictis ad Ordines accederet, validè ordinaretur? *R.* Videtur multo probabilius validè ordinari, tum quia Episcopus, quando actu confert Ordines, præsumitur priorem mutare voluntatem, velleq; hunc præsentem Clericum ordinare. Quod verum est, nisi constet de contraria Episcopi voluntate persistente in ea negativa intentione. *San: Lay. Sacc.*

De Subdiaconatu.

Q. Quid sibi vult Nomen Subdiaconi? *R.* Idē ac subminister, cûm Sacerdotis Ministro id est, Diacono, administrat.

Q. Quid est Subdiaconatus? *R.* Est Ordo Sacer, per quem datur ordinato duplex potestas, altera primaria scil: inserviendi Diacono in Missa solemni, quò ad præparationem vasorum Sacrorum; Altera legendi solemniter Epistolam in Missa Solemni.

Q. A quô? & quando institutus est hic Ordo? *R.* a Christo in ultima Cæna, quando præparavit materiam Eucharistiæ. Q. Fuit

Q. Fuitne hic Ordo præfiguratus? R. Affir. *l.* 1. *L. Exodi.* 2. *& lib.* 2. c.8. ubi Levitarum Ministri ponuntur: nam Hipodiaconi Ordo ex *Rabano & Isid:* in novo testamento respondet Nathinæis in templo humiliter servientibus *Ex* 1. *Esdr:* c. 8. & a Davide dati dicuntur ad Levitarum ministeria. *Ex Isid: L.* 7. & ex horum Ordine censent fuisse Nathanaelem.

Q. Quotuplex est Materia hujus Ordinis? R. *Remota* est duplex: Calix vacuus cum patena vacua, & liber Epistolarum. *Proxima* autem est harum traditio ab Episcopo. Sufficit Calix non Consecratus *Sotus & 4. alii.* Forma vero Subdiaconatûs, sunt verba ab Episcopo prolata in traditione materiæ.

Q. In quo actu imprimitur Character Subdiaconatûs? R. In traditione Calicis vacui, & Patenæ tanquam principalioris Materiæ.

Q. Cur Subdiacono non confertur Character in porrectionē libri Epistolarum, sicut confertur Diacono in traditione libri Evangeliorum? R. Quia Evangeliorum traditio est multò excellentior, eô quod Diaconus non solùm canere, sed etiam Evangelium prædicare potest, si attendamus tantùm ad jus Divinum *Conc. Hor.*

Q. In ultima Cæna non erat liber Epistolarū, quomodo potuit Christus instituere hunc Ordinē deficiente ejus materia? R. Christus pro materia ordinis statuit in genere instrumentum aptum significare potestatem spiritualem, quæ per Ordines confertur. Ecclesia verò determinavit speciē instrumenti, quod pro temporum, & locorum varietate magis exprimere possit hujusmodi Spiritualem potestatem. Propterea Christus usus aliâ

re;

re, & Apoſtoli in primitiva Eccleſia, cùm non-dum aderat liber Epiſtolarum, aut Evangeliorũ.

Q. Si locò libri Epiſtolarum traderetur tangendus alius liber, eſſetne validè ordinatus? R. Affir: quò ad primam poteſtatem. Quò ad ſecundam *diſtinguo* ſi contineat Epiſtolas, uti Biblia, Miſſale, Breviarium, validè eſſet ordinatus etiam quò ad ſecundam poteſtatem, ſi tradatur liber Epiſtolas non continens, non eſſet ordinatus.

Q. Si tradatur ordinando ſolus Calix, vel ſola Patena eſſetne validè ordinatus? R. Alii affirmant, alii probabiliùs negant; quia traditio illa refertur ad utramq; partem ſacrificii, ſcil: Corporis & Sangvinis, ideoq; utriusq; vaſa dari debent. Si ordinando daretur Calix cum vino, & Patena cum hoſtia, validè ordinaretur quia materia per præſentiam vini & hoſtiæ non vitiaretur.

Q. Subdiaconus majori Excommunicatione irretitus, ſi exerceat ſolemniter actum ſui Ordinis, an incurreret irregularitatem? R. Affir: ſecùs ſi tantùm minori Excommunicatione innodatus exiſtat, vel ſi laboret ignorantiâ non craſſa. Sub diaconum actum ſui Ordinis exercentem ſolemniter in peccato mortali peccare mortaliter, alii affirmant, alii probabiliùs negant, cùm nullum conficiat Sacramentum.

Q. Quæ nam veſtis eſt propria ſubdiacono? R. Veſtis propria diſtinctiva a cæteris Ordinibus, eſt manipulus in brachio ſiniſtro, qui ſignificat fructum bonorum operum.

Q. Quid ſignificant aliæ veſtes, quibus induitur Subdiaconus? R. Amictus ſeu humerale ſignifi-

significat fortitudinem ad exequenda officia Divina, quibus mancipatur, alba significat puritatem vitæ, cingulus repressionem carnis. Tunicella tunicam justitiæ.

Q. An non possunt Clerici legere Epistolam, qui non sint Subdiaconi? *R.* Non possunt solemniter, hoc est cum Manipulo, & ex officio.

Q. Quod est officium Subdiaconi? *R.* Epistolam in Missa cantare, Diacono Panem & vinum porrigere, Palas, Corporalia abluere &c.

Q. Quæ sunt obligationes Subdiaconi? *R.* Principales sunt 3. 1mo servandi castitatem 2. Recitandi horas Canonicas. 3. Deferendi habitum & Tonsuram.

Q. Unde oritur obligatio servandi castitatē? *R.* Ex voto solemni castitatis, quod à Subdiacono juxta Constitutionem Ecclesiæ emitti debet in sui ordinatione.

Q. Debetne hoc votum explicitè emitti? *R.* Sufficit quod emittatur implicitè: nempe hoc ipso, quod quis vult sacrum Ordinem, implicitè vult obligationes annexas. Tale est votum Castitatis.

Q. Hæc obligatio viguitq; semper in Ecclesia? *R.* Initio nascentis Ecclesiæ non fuit observata in Ecclesia orientali, quia ob paucitatem fideliū, & Ministrorum Domini, sacris initiabantur etiā uxorati, at in Ecclesia occidentali à tempore Apostolorum semper observata fuit. *Bellar.*

Q. Suscipiens S. Ordines ignorat obligationem perpetuæ continentiæ esse annexam, an esset immunis ab ea? *R.* Non. quia votum est accessorium Ordini S. tanquam principali, qui autem vult principale, vult etiam accessorium, nisi

contra-

contrariam intentionem habuerit, *San: Regi.*

Q. Quale peccatum committeret Subdiaconus violans Castitatem? *R.* Unico actu committeret duo peccata, contra votum, & esset sacrilegium, & contra virtutem castitatis.

Q. Subdiaconus teneturne ab Episcopo assignatum nocturnum sub mortali absolvere? *R.* Affirmant Dia: Bon: sed tam severa obligatio non agnoscitur adesse, nec ex Jure nec ex Pontificali. *San. Tamb.*

Q. Quæ adhuc requiruntur in ordinando in Subdiaconum? *R.* Præter dicta ubi de Minoribus Ordinibus, requiritur insuper Titulus.

De Titulo.

Q. Quid est Titulus? *R.* Est quædam provisio perpetua ad honestè sustentandam vitam Clericalem, quò ad victum, & amictum.

Q. Cur Ecclesia statuit ut habeatur Titulus? *R.* Ne ordinandus cogatur mendicare cum Ordinis dedecore, aut inconvenientem artem exercere.

Q. Quam pœnam incurrit suscipiens Ordinem S. sinè Titulo? *R.* Fit suspensus ipso factô ab Ordine sic suscepto, & superiori suscipiendo, cujus dispensatio Pontifici reservata est, neque eum ignorantia juris excusat. *Syl: Bon.*

Q. Quotuplex est Titulus? *R.* 3plex Beneficii, Patrimonii & Paupertatis.

Q. Estne sufficiens Titulus Seminarii præbentis honestam sustentationem? *R.* Si est permanens, vel saltim durans, donec Ordinandus sit aliunde provisus, sufficit.

De Voto.

Q. Quid est votum? *R.* est promissio facta Deo deliberatè de bono possibili & meliore.

q. quotu-

Q. Quotuplex eſt Votum? *R.* 2plex *Solemne* quod fit per Profeſſionem Religioſam, vel per receptionem Subdiaconatûs. Et *Simplex* quod fit ſine dictis ſolemnitatibus, ſponteneâ voluntate & privatim.

Q. Quæ eſt Differentia inter dicta vota? *R.* *Primum* verſatur ordinariè ſolùm circa caſtitatē, paupertatem, & obedientiam. *2dum* autem extendit ſe ad omnem materiam bonam *1mum* eſt indiſpenſabile, & poteſt tantùm declarari in aliquibus circumſtantiis non tenere, *2dum* verò poteſt diſpenſari.

Q. Quomodo adhuc dividitur Votum? *R.* Aliud eſt *Expreſſum* quod verbis diſcretis exprimitur. Aliud *Tacitum* quod eô ipſo fieri cenſetur, quò voluntariè aliquid agitur, ut ſuſceptio Ordinis S. tacitè complectitur votum caſtitatis. Aliud eſt *Abſolutum* aliud *Conditionatum* quod patet ex terminis.

Aliud *perſonale* quô promittitur aliquid, quod perſonam voventis attinet; ut peregrinatio, jejunium. *Reale* quô res aliqua Deo promittitur ut Eleemoſyna, cenſus, *Aliud mixtum* quô utrumque promittitur. *Aliud Pœnale* quod fit in pœnam alicujus delicti, ut ſi quis dicat: ſi non abſtinuero ab hoc vitio, diſtribuam 5. vel 10. aureos pauperibus.

Q. Qui licitè poteſt vovere? *R.* homo viator, quia eſt ſui juris, & habet uſum rationis. Vovere non poſſunt licitè impuberes, conjuges, ſervi perpetui, Filii ſub tutela Parentum exiſtentes, ſi materia voti ſit in præjudicium conjugis, ſuperioris, vel Parentum; ad pubertatem in maſculis requiruntur Anni 14. in Fæminis 12.

q. quæ

Q. Quæ requiruntur ad votum? R. Intentio deliberatio & libertas perfecta.

Q. Quæ sunt conditiones necessariæ ad votũ? R. 4. Possibilis, non vana, bona, meliori non contraria.

Q. Qualiter obligat votum? R. juxta quantitatem materiæ quæ promittitur, & juxta intentionem voventis, si est materia gravis, graviter obligat, si levis, leviter. Item si quis se obligat sub mortali peccato, tenetur implere sub mortali, si sub veniali, tenetur sub veniali, si in perpetuũ, tenetur in perpetuum.

Q. Qui non implevit votum tempore præfixo, obligaturne post adimplere votum illud? R. Peccat, sed probabiliùs est quod non obligetur, nam obligatio annexa tempori, & diei, finita est cum tempore, & die. Sua: Bon: &c.

Q. Si quis, metu mortis vel gravis mali ab alio sibi incussi vovet, valetnè? R. non, quia vovit cóactus non liberè *Tolet.*

Q. An potest esse voti obligatio levis, quamvis materia sit gravis? R. Affir: Sua: San: &c.

Q. An validum votum illius, qui malum vovet vg. voveo te occidere? R. non, & quidem qui mortale vovet, peccat mortaliter qui autem veniale, eum venialiter peccare dicit Sa: Syl: imò & hunc mortaliter peccare docet Cajet:

Q. An votum personale possit impleri per alium? R. non, unde qui vovit peregrinationem. vg. Romam non satisfacit si alium mittat neq; ad id tenetur, si ipse non possit Sa: &c.

Q. An ad valorem voti requiritur ut omnes omnino difficultates expendat, quas postea vovens experitur in executione voti, quas si antea

perspectas habuisset, non vovisset? *R.* non, aliàs vix daretur votum validum, cum vix inveniatur vovens, qui non experiatur in executione voti aliquas difficultates.

Nec etiam requiritur, ut vovens sit liber ab omni omnino iracundiæ, vel concupiscentiæ, motu vel etiam levitate, quando passio non est tanta, vel levitas, ut rationis usum ad pecc: mortt sufficientem tollat. Fernand.

Q. An votum alienum obligat aliquem 3tium? *R.* non. Hinc *vg.* Filius à patre Religioni devotus, non tenetur vi voti paterni ingredi Religionem, nisi idem votum ipsemet Filius ratificet.

Q. Quæ excusant ab impletione voti? *R.* 1. Gravis incommoditas. 2. ut quis prævideat se posse adimplere votum alio tempore magis piè, & minori cum distractione.

Q. Quid notandum venit circa errorem in fine voti? *R.* finis voti 3plex est. 1. Communis omnibus votis: Est Divinus Cultus, & honor, qui si deficiat votum est irritum. 2. *Specialis* qui est intrinsecus materiæ promissæ, & si hic deficiet, mutatur objectū promissum, & consequenter cessat pr. missio si *vg.* videns aliquem in lacera veste voverem dare Eleemosynam, sed quia rescivi eundem non esse pauperem, non teneor, quia finis intrinsecus Elemosynæ est sublevatio alienæ miseriæ, quæ hic non erat. 3. Est Extrinsecus finis qui per votum intenditur obtineri, ideoquè si per votum obtineri nequit, votum cessat.

Q. Pro resolvendis dubiis circa vota, quæ servire possunt regulæ? *R.* 1. In dubio melior est conditio possidentis, etiam probabilius etiamsi propendeat in votum factum? 2. Obligationes

gratuitæ ſunt potiùs reſtringendæ quàm amplian-dæ. 3. Dubitans an plus an minus? tenetur tantùm ad minus. 4. Si poſt breve tempus poſt-quam voviſſem, dubito an voverim, vel non, poſſum me judicare non voviſſe, quia non tam facile, & citò obliviſcimur magnæ alicujus pro-miſſionis. 5. Si verba quibus uſus ſum non ſi-gnificent ex ſe votum, non præſumor voviſſe, quod ſi ex ſe ſignificent votum, tenebor ad vo-tum.

Q. Quot modis tollitur obligatio voti? *R.* 1. Nullius Authoritate interveniente, idq; vel ma-teriæ mutatione, ut ſi materia antea honeſta, fiat turpis, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumſtantiæ, vel prohibitionis, vel ſi fiat im-poſſibilis abſolutè, vel moraliter, vel deſitione conditionis, à qua pendebat. 2. interventu Au-thoritatis humanæ idq; 3pliciter: irritatione, commutatione, vel diſpenſatione.

De Irritatione & Commutatione voti.

Q. Quid eſt irritatio? *R.* Eſt annullatio quæ-dam facta à ſuperiore inferiori perſonæ, quæ fa-cit, ut votum non ſit obligatorium.

Q. Per quid differt irritatio à diſpenſatione? *R.* irritatio, eſt ablatio obligationis, facta no-mine proprio per poteſtatem dominativam in perſonam voventem, aut in rem, de qua fit vo-tum. Diſpenſatio verò eſt ablatio obligationis facta nomine alieno ſcil: Dei, qui poteſtatem juriſdictionis dat quibusdam in Eccleſia, ad tol-lendam, ubi cauſa eſt, voti obligationem.

Q. In irritatione, requiriturnè aliqua cauſa? *R.* non, ſufficit enim ſola voluntas irritantis.

q. quis

Q. Quis potest irritare vota? R. Pater filiorum, superior suorum religiosorum, maritus uxoris, vel é contra, si vota sunt cum præjudicio dictorum, nam talia vota ex juris dispositione hanc tacitam habent annexam conditionem: *nisi superior contradixerit, vel ille cujus interest.*

Q. Quid est commutatio? R. est materiæ voti authoritate propria in id, quod manifestè melius, & Deo gratius est, conversio.

Q. Quis potest commutare vota? R. ipse vovens potest propria authoritate mutare votum tantùm in manifestè melius *vg.* votum matrimonii, in votum religionis. Eppūs autem potest commutare in materias æquales.

Q. Quid debet Confessarius attendere habens facultatem commutandi votum? R. quòd res in quam votum permutat, aliquomodo sit similis rei, voto promissæ, non potest fieri commutatio in opera, ad quæ quis ex præcepto tenetur. *Les.*

Q. An omnia vota suorum subditorum Episcopus commutare potest? R. existente causâ potest. Exceptis 5. votis, quæ soli Papæ reservantur, scil: Votum intrandæ religionis: castitatis perpetuæ: peregrinationis Compostellam, Jerusalem & Romam.

Q. Votum castitatis ut sit reservatum Pontifici, quæ requiruntur? R. 1. Votum tale debet esse perpetuum, perfectum, & absolutum, omnimodæ castitatis. Hinc reservatum non est, votū castitatis conditionatum, *vg.* voveo castitatem, si Pater morietur. Vel ad certum tempus emissum, nisi esset *vg.* ad 100. Annos, quia tunc haberetur pro perpetuo.

2. Non est reservatum votum non fornicandi,

di, non nubendi, non petendi, nec reddendi debitum, non tangendi mulierem lascivè: Votum suscipiendi S. Ordines seu Sacerdotii *Sa: Sot:* In dictis ergo votis potest, vel commutare, vel dispensare Eppūs.

De Dispensatione Voti.

Q. Quid est dispensatio? *R.* Est obligationis voti, nomine Dei, per Superiorem habentem ad id potestatem, cum justa causa facta condonatio.

Q. Quis potest dispensare in votis? *R.* Papa in quocunq; voto etiam solemni Religionis, Eppūs potest in votis simplicibus Papæ non reservatis.

Q. Ergò 5. illa vota Pontifici reservata non possunt ab alio commutari vel dispensari. *R.* non irritari tamen possunt ab illis, qui habent potestatem dominativam in voluntatem voventis. Possunt commutare Eppi, quando adest gravis causa, & nequit sine periculo animæ expectari dispensatio Papæ.

Q. Quæ est forma dispensationis? *R.* Si commutationes seu dispensationes fiant à Pontifice vel Episcopo, possunt pro libitu fieri intra vel extra Confessionem, quibuscunq; verbis exprimentibus commutationem vel dispensationem. Si autem tantùm à Confessario privilegiato debet semper esse in Confessione. *vg. Ego dispenso tecum in voto N. vel commuto &c.*

Q. An qui vovit non petere dispensationem à voto, possit petere irritationem commutationem vel contra? *R.* potest; quia hæc requirunt diversam potestatem. Si tamen ejus fuerit mens nullam petere deobligationem, si petat, peccat, deobligatio tamen erit valida.

Q. Quis potest absolvere transgressorem voti?

R. qui-

R. quilibet Sacerdos approbatus, sed voti obligatio manet. Ut si quis vg. vota continentiæ fornicetur, absolvi potest à quolibet Confessario, sed voto continentiæ manet obligatus.

De Horis Canonicis.

Q. Quid est Officium Divinum? R. est laus Dei voce expressa determinata per institutionem Ecclesiæ. Aliud est *Nocturnum* scil: Matutinum cum Laudibus. Aliud *Diurnum* scil: reliquæ horæ.

Q. Qui obligantur recitare Horas Canonicas? R. Clerici Majorũ Ordinũ, etiam suspensi, excommunicati, degradati, etiam qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem. Item Religiosi.

Q. Cur officium Divinũ constat ex septẽ horis? R. propter Passionis Dominicæ Mysteria 7. horis operata.

Q. Horæ Can: unde vocantur Breviarium? R. quia sunt breve & admirabile S. Scripturæ compendium.

Q. Quo jure Sacris initiatus obligatur ad recitationem horarum? R. Ex legis Ecclesiasticæ dispositione seu ex antiquissima consvetudine vim legis obtinente Comm: DD.

Q. A quò tempore incipit hæc obligatio? R. à puncto suscepti Subdiaconatûs, & quidem ad horas respondentes horæ, quà ordinatur, vel ad horam, quæ in Choro tunc dicenda esset. Quodsi horas recitaverit ante susceptionem Ordinis probabiliter satisfecit, probabiliùs tamen tenetur repetere.

In Beneficiatis incipit obligatio à die possessionis pacificæ sui Beneficii.

Q. Qualiter Ecclesia obligat ad recitationem

Breviarii? *R*, sub mortali. Undè si quis omitteret totum, aut aliquam totam horam, aut psalmos aliquos peccat mort: gravius autem esset peccatum, si totum officium omitteret. non peccaret verò mortaliter, si unum psalmum vel versus aliquos omitteret.

Q. An eadem obligatio est recitandi tempore Adventûs vel Quadragesimæ Psalmos Graduales. Pænitential: Item Noctur. Defunct? *R.* Hæc non obligant sub culpa, qui tamen orant lucrantur indulgentias Bul: Pii V. Excipiendum est officium Defunct. in Commem. eorundem & Lytaniæ in diebus Rogationum & Festo S. Marci quæ expressè præcipiuntur, neq; tunc officium Defunct: potest orari pridie. S. R. C. 1607. 1. Sept.

Q. Sacerdos possidens Beneficium quot peccata cōmittit si non recitet horas? *R. Nav. Lay:* docent cōmitti cum duo peccata mortalia, alterū contra virtutem Religionis ratione Ordinis. Alterum contra virtutem justitiæ ratione Beneficii: cujus fructus in pios usus erogare tenetur, à qua obligatione eximuntur non Beneficiati.

Q. Beneficiatus Horas omittens ad quid tenetur? *R.* tenetur in conscientia ante sententiā judicis restituere fructus tali negligentiæ respondentes, neq; compensatur hæc restitutio per eleemosynas ante neglectam recitationem ex fructibus beneficii datas *Com: DD.*

Q. Cui facienda restitutio est? *R.* vel pauperibus, vel etiam ipsi beneficio si pauper est &c.

Q. Qui hodiè Divinum Officium non recitavit teneturnè cras supplere? *R.* Nōn, quia

onus

onus recitandi eſt annexum diei, & tranſit cum ipſo die,

Q. Qui officium mutat. vg. qui dicit de ſancto, cum recitandum eſt de Dominica, quod peccatum committit? *R.* Qui inadvertenter, neq; delinquit, neque repetere tenetur. *Les Syl: æc:* Si verò datâ operâ, & ſi frequenter Officiũ in brevius mutet, peccare eum mortaliter docet *Tolet: Sua: Laii.*

Q. Si quis per errorem heri recitavit officium de Sancto cujus feſtum eſt hodie? *R.* tenetur iterum de eo hodie recitare, quia error ejus non dat jus invertendi Rubricas; Contrarium tamen eſt probabile.

Q. An qui pridie recitavit Matutinum, & Laudes ſequentis diei vg. feriales, reſciens poſtea ſequenti die celebrari aliquem ſanctum, debeat reliquas horas dicere de Sancto, vel de feria? *R.* Valde probabile eſt, quòd debeat, dicere de Sancto; quamvis non repetat Matutinum; Probabile etiam eſt poſſe continuare officium feriale inchoatum.

Q. Quale peccatum eſt pervertere Horarum ordinem inter ſe, ùt dicere Veſperas ante Primam? *R.* ſi fiat ſine cauſa, remoto contemptu ad ſummum eſt veniale, cum cauſa autem, nec eſt veniale.

Q. Excommunicatus Sacerdos an poteſt dicere: *Dominus vobiſcum*? *R.* Non poteſt, nam juxta. *Suar:* ſi ſciens, & volens diceret, incurreret irregularitatem, gereret ſe enim in officio Divino, ut publicus Miniſter ac proinde loco: *Dnũs* debet dicere *Domine exaudi orationem meam &c.*

q. quo-

Q. Quomodo in praxi dicendum est officium? *R.* Juxta Rubrum Breviarii competentis, & juxta statuta cujusvis Diœcesis.

Q. Quotuplex est ritus? *R.* triplex scil: sub ritu duplici; hoc est quando duplicantur Antiphonæ. 2. Sub ritu semiduplici quando non duplicantur Antiphonæ. 3. Sub ritu simplici ad distinctionem ab utroque, eò maximè quod in matutino, & vesperis ex parte sequatur ritum ferialis Officii, quem duplicia, & semiduplicia non servant.

Q. Ad quale Officium tenetur Beneficiatus? *R.* tenetur ad officium secundum ritum beneficii loci, ubi residet, tum ut se conformet, tum ut ei Ecclesiæ serviat de cujus altari vivit,

Q. Quid, si duplex habet Beneficium? *R.* vel residet in altero? & debet illius ritum sequi. vel in neutro? & debet recitare Officium illius Ecclesiæ, in qua Majorem habet gradum, & si utrobiquè sit æqualis; officium Ecclesiæ dignioris, & si hæ sint æquales, eligat quod voluerit.

Q. Quale officium tenetur orare Ordinatus vg. Scholas frequentans, vel in seminario existens? *R.* Potest eligere ritum loci, in quo degit, vel etiam Ecclesiæ ad quam provisus fuerit.

Q. Obligatus ad Breviarium Romanum, si hoc non habet, an potest uti alio? *R.* Alii affirmant, alii probabilius negant, tum quia diversitas Breviariorum inducere potest in perturbationem, tum quia Pius V. in sua Bulla dicit: Non satisfieri obligationi, non utendo formulâ à se præscriptâ, quas tamen Horas scit memoriter, tenetur recitare.

q. quô

Q. Quâ voce recitari debet Officium Divinũ? R. privatim recitans, ita orare debet, ut se ipsũ audire possit.

Q. Quid si orat cum socio? R. debet illum audire, alias non satisfacit.

Q. An qui non potest dicere tenetur audire Horas? R. Non, quia de tali obligatione nullibi, constat.

Q. Quo in loco recitandum? R. Qui Choro sunt adstricti ratione beneficii, vel stipendii, obligantúr ex justitia cantare in chorò, qui verò privatim, in quocunq; loco honesto possunt recitare.

Q. Ut quis recitet Officium sine omni culpa, debetne servare temporum distribútionem? R. Affir. sic *Matutinum* diei, dici debet ab occasu solis, usque ad auroram; *Laudes* vero, vel unà cum *Matutino* illucescente jam die *Prima* oriente sole, *Tertia*, aliquantulum pòst; *Sexta* adulta jam die, *Nona*: prope prandium; *Vesperæ* post prandium *Completorium* prope noctem.

Q. An potest dici Matutinum crastinæ diei, & Laudes differri in crastinum? R. Affir: sed in fine matutini, debet dici Oratio festi, & Pater noster.

Q. An peccat, qui celebrat non dicto Matutino? R. 20. Authores apud Barb: affirmant peccare mortaliter, si sine rationabili causa celebraret Missam non dicto Matutino. Verum 38. alii probabiliùs negant, quia nullibi in jure hoc præceptum reperitur, peccaret tamen saltem venialiter.

Q. Possunt ne Horæ interrumpi? R. Inter matutinum & Laudes, & Horas potest quælibet fieri interruptio, sed inter partes Horæ fieri

non

non poteſt, ſi fiat ſine cauſa erit veniale, cum cauſa nullum erit peccatum.

Q. Quæ Intentio requiritur? *R.* Requiritur intentio orandi Deum, non ſimpliciter legendi Hiſtoriam, ſufficit tamen virtualis.

Q. Quid adhuc requiritur ad debitè recitandas Horas? *R.* Attentio, tam interna, quàm externa.

Q. In quo conſiſtit utraque attentio? *R. Externa* conſiſtit in hoc, ut dum quis recitat Officium, non exerceat externam actionem incompoſſibilem cum Oratione, talis eſt *vg.* ſcriptio &c. *Interna* Attentio duplex eſt: Alia *Actualis* cùm quis clarè cognoſcit ſe hic, & nunc advertere ad verba, & ſenſum verborum. Alia *virtualis* cum quis proſequitur recitationem inceptam cum attentione ad verba, ſed ob exortas cogitationes mentem habet diſtractam. Optima eſt attentio actualis, ad implendum tamen præceptum Eccleſiæ ſufficit virtualis.

Q. Quid de eo qui absque ulla attentione recitat? *R.* Si per notabilem partem diſtrahitur voluntariè, vel exercet actionem incompoſſibilē cum oratione, alii eum peccare mortaliter negant, alii probabilius affirmant, quia agit contra Eccleſiæ præceptum in re gravi *Les. Lai.*

Q. In quibus caſibus Sacerdos excuſatur â recitatione officii Divini? *R.* 1. Si a ſummo Pontifice diſpenſetur. 2. Si ignorantia vel inadvertentia inculpabili juris, vel facti laboret. 3. In infirmitate. 4. in occupatione neceſſaria *vg.* in excipiendis per totam diem Confeſſionibus, ſi tamen poteſt, tenetur prævenire. 5. Si careat Breviario, & aliundè habere non poteſt. 6. Si

per

per vim ab extrinſeco illatã impediatur. 7. Si metu mortis cogatur omittere penſum Officii Divini.

Q. Si quis non poteſt recitare Breviarium an tenetur ad alias preces privatas? *R.* Non, quia id lex ulla jubet.

Q. An qui prævidet ſe cras non habiturum tempus tenetur pridie orare? *R.* Cum *Gob:* Negative, niſi Matutinum poteſt, ſi vult.

Q. An ad valorem Majorum Ordinum in traditione materiarum ſufficit, quod Capellanus vel alius Aſſiſtens teneat materias ante Eppũm? an verò requiritur, ut ipſe Ordinans propriâ manu tradat eas Ordinando? *R.* requiritur, ut ipſe Ordinans tradat. Sententia enim contraria non eſt moraliter certa, ſed tantum probabilis affirmativa eſt tutior; ergò non licet hâc relictâ, illam ſequi. *Carde: cum Com.*

Hoc Quæſitum cum ſua Reſponſione ſpectat ad Cap. 9. ante titulum. De Subdiaconatu.

CAPUT X.

De Diaconatu.

Q. Quid ſibi vult hoc nomen Diaconus? R. Diaconus græcè, latinè Miniſter ſonat, cum Sacerdoti in omnibus ad Euchariſtiæ Sacramentum ſpectantibus adminiſtret.

Q. Quid eſt Diaconatus? *R.* eſt Spiritualis poteſtas, qua Ordinatus in Diaconum, poteſt Evangelium in Eccleſia ſolemniter cantare. Effectus hujus Ordinis idem, qui & aliorum.

Q. A quo & quando fuit inſtitutus? *R.* à Xto cùm poſt Cænam Corpus &. Sangvinem ſuum Apoſtolis miniſtravit.

Q. Ubi fuit præſignatus Diaconatûs Ordo?

R. in

R. in veteri Lege per Levitas Sacerdotibus inservientes. *ex Num: 8.* Unde ex Levitis Sacerdotes, & Pontifices eligebantur. Diaconatûs Ordo, Levitarum Ordo in Pontificali appellatur.

Q. Quæ est materia Diaconatûs? *R.* duplex *Remota* est liber Evangeliorum, & impositio dexteræ manûs super caput Diaconi. *Proxima* est traditio ejusdem libri. *Forma* sunt verba Episcopi in traditione prolata.

Q. Materia hujus Ordinis cum sit duplex quæ est dignior? *R.* traditio Libri Evangeliorũ, in qua imprimitur Character & confertur gratia.

Q. Non videtur liber Evangeliorum Materia hujus Ordinis esse, quia initiô Ecclesiæ non extabat liber Evangeliorum? *R.* Initio Ecclesiæ porrigebatur pagina, in qua scripta erant Mysteria fidei Xtianæ, quæ deserviebat pro libro Evangeliorum *Palæcis de Ord.*

Q. Quid significat manuum impositio? *R.* ex D. Tho. significat unionem Ordinati cum Ordinante in Spiritu, & gratia, quapropter per manûs contactum, Episcopus eum sibi unit sub ista verborum forma, *accipe Spiritum S. &c.*

Q. An valida esset Ordinatio Diaconi si non traditur illi missale ùti solet, sed alius liber continens Evangelia? *R.* Affir: etiam si daretur tota Sacra Scriptura. Dubia foret Ordinatio, & sub conditione repetenda, si daretur solùm vetus Testamentum, vel si traderetur liber Exorcismorum.

Q. Quid significat hoc nomen Evangelium? *R.* Significat bonum Nuntium Divinæ gratiæ per Christum D. humano generi collatæ.

q. quid

Q. Quid significat: *Dominus vobiscum*? *R.* Significat Dominus in Vobis maneat cum largitione suæ gratiæ.

Q. Cur Diaconus cantans Evangelium dicit *Dominus* & non *Deus vobiscum*? *R.* Epithetos Deus respicit Creationem, Dominus gubernationem rerum creatarum, Diaconus itaq; cum legit Evangelium, non dicit *Deus* sed *Dominus vobiscum* ad significandum, quòd Evangelium est lex ad regimen, & salutem hominum lata, & ut lex Domini ab adstantibus debet audiri. Ætas ad Diaconatum requiritur 23. An.

Q. Si quis ordinaretur ante hanc ætatem? *R.* Si Ordinaretur bonâ fide: quia probabiliter se credidit hanc attigisse ætatem, nullam contraheret pænam; secùs si mala fide, & scienter, nam tunc ipso facto suspensionem incurreret, & si deinde ministraret in Ordine suscepto, fieret irregularis ex violatione censuræ.

Q. Quid de ordinato per Simoniam? *R.* Talis ipso facto manet suspensus ab Ordinibus sic susceptis, in qua suspensione (qui scienter eam contraxit) dispensatur solum à Summo Pontifice. Cum eo verò (qui ignoravit commissam fuisse simoniam) dispensare potest Episcopus. *Cap. ex multis un.*

Q. Diaconus suspensus à sui Ordinis actu si exerceat ministerium inferioris Ordinis *vg.* Subdiaconatûs fieretne irregularis? *R.* Neg. quia suspensio à superiore Ordine, non comprehendit inferiorem, bene tamen vice versâ.

De officio Diaconi.

Q. Quod est officium Diaconi? *R.* præcipuè duo sunt officia. 1. servire immediatè celebranti Sacer-

Sacerdoti solemniter. 2. cantare in eadem missa solemniter Evangelium. Sunt & alia officia, quæ nunc exerceri non solent.

Q. Si quis Subdiaconatu invalidè suscepto, fiat Diaconus obligaturnè voto castitatis? R. Affir: quia illud est annexum singulis S. Ordinibus.

Q. Quæ nam est vestis propria Diaconi? R. est stola decussatim posita super humerum sinistrum, pendens sub latere dextro.

Q. Quare Diaconus utitur stolâ transversa? R. Cum Diaconus ad labores suscipiendos in vinea Dñi ordinetur, ne ei accidat, in illis unquam succumbere, stolâ quasi Sacrâ fasciâ super humerum ligatur, humerus enim est pars corporis ad onera ferenda maxime apta.

Q. Diaconus poteftne SS. Eucharistiam administrare? R. ex commissione Parochi potest, hoc tamen tempore ob copiam Sacerdotum non est in usu, nisi aliqua foret necessitas vg. si ad agonizantem non posset ferre Sacerdos SS. Eucharistiam.

Q. An potest Diaconus solemniter Baptizare R. potest ex cõmissione Parochi, vel concessione Episcopi, si sine illa baptizaret, non solùm peccaret mortaliter, sed insuper fieret irregularis Cap. 1. de non Ord:

Q. In casu extremæ necessitatis an non licebit sine cõmissione baptizare Diacono? R. non quia licèt necessitas licitam reddit actionem baptizandi, non tamen Baptismi solemnitatem, cũ non sit necessaria. *Gar*: Clericus autem sine necessitate baptizans solemniter, incurrit irregularitatem Papæ reservatam *Escob.*

q. An

Q. An ex quacunq; causa potest Parochus cōmittere collationem Baptismi solemnis? *R.* non sed ex justa, gravi, & rationabili.

Q. An Diaconus sine comissione extra necessitatem possit aliquando Solemniter Baptizare? *R.* si est Parochus potest, nam eo ipso, quod ipsi confertur jus Parochiale, deputatur ad solemniter baptizandum *Gob* Secùs dicendū de Subdiacono.

Q. Quid est solemniter baptizare? *R.* est baptizare cum cæremoniis consvetis ab Ecclesia præscriptis.

Q. An Diaconus potest ministrare extremam unctionem? *R.* Neg: cùm hoc Sacramentum specialiter Presbyteris administrare demandatum esse, ex sacra scriptura dignoscitur. com: DD.

Q. Potestne Diaconus assistere Matrimonio? *R.* Ordinarie non potest, quia *Trid:* hoc munus solùm Parocho cōmittit, vel alteri *Sacerdoti* de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, potest autem assistere Diaconus, si fuerit Parochus.

Q. si Diaconus nunquam exercuit actum sui Ordinis cujus criminis damnandus est? *R.* Si hæc Synodalium constitutionum trangressio unita est cum scandalo, peccare cum mortaliter, eo secluso, non excedere malitiam venialem docet Nug:

Q. Diaconus potestnè saltem cum licentia Episcopi benedicere aquam lustralem? *R.* Non, quia benedicere dona Dei, officium est Presbyterorum non Diaconorum seu est Ordinis Sacerdotalis actus. *Syl: Med. &c.*

De Baptismo.

Q. Qúid significat hæc vox Baptismus? *R.* Baptismus græca vox ex prima sua impositione

quam

quam apud Gentiles olim etiam habuit, significat quamlibet immersionē, tinctionem & inde sequentem ablutionem.

Q. Ly *Baptismus* pro quo accipitur apud Xtianos? *R.* in Sacris Scripturis idem nomen triplici potissimum significatione usurpari solet. 1. pro quacunq; ablutione. 2. accipitur metaphoricè pro afflictione vel oppressione aliqua. 3. sumitur pro cæremonia & sacra immersione in aquis, seu ablutione, & potissimum pro illa, quæ à Xto est instituta, sub certa verborum forma ad Divinos quosdam effectus in homine sic tincto consequendos.

Q. Quibus nominibus appellari solet Baptismus? *R.* propter varios effectus, varia nomina habet apud SS. PP. dicitur enim 1. Regeneratio. 2. Purgatio. 2. Illuminatio, quia in Baptismo infunditur lumen fidei, quo homo habitu supernaturalis luminis illustratur. 4. Donum Dei, seu gratia, quia in Baptismo datur liberalissima remissio omnium peccatorum ex mera Dei gratia absq; ullo nostro merito. 5. signaculum seu sigillum, ratione Characteris. 6. custodia seu præsidium, quia custodit animam in bono, ratione characteris. 7. Sacramentum fidei, quia in eo fit 1*ma* & solemnis professio fidei. 8. Unctio. 9. Indumentum quia nuditas per peccatum Adæ contracta tollitur, & coöperitur homo rursus ornamentis justitiæ universæ.

Q. Quid est Baptismus? *R.* est Sacramentum consistens in ablutione Corporis exteriori sub præscripta verborum forma, à Xto instituta ad regenerationem spiritualem.

Q. Quotuplex eſt Baptiſmus? R. 3plex Fluminis, Flamminis & Sangvinis *1mus* Immediatè definitus *2dus* conſiſtit in actu contritionis, & charitatis, ac deſiderii ſuſcipiendi in re aquæ Baptiſmum, ſolùm adulti rationis uſu pollentibus competit. *3tius* eſt Martyrium, ſeu paſſio pro Xti Fide, aut pro vera virtute ſuſceptus.

Q. Prædicta Tria ſuntne verè Baptiſmata & Sacramenta? R. Solus Baptiſmus Fluminis (de quo hic agitur) eſt janua & fundamentum omnium Sacramentorum, & propriè Sacramentum ante cujus ſuſceptionem aliud Sacramentum non ſuſcipitur validè, exceptâ SSma Euchariſtia, nam non Baptiſatus acciperet verum Corpus Xti, ſed infructuosè, alii duo Baptiſmi nominantur, ut hujus vicem ſuppleant, & in eo concluduntur, poteſtquè homo per ea ſalvari.

Q. Cur Baptiſmus vocatur Janua Sacramentorum? R. quia in ſuſceptione Baptiſmi præter 1mam gratiam, quæ ſanctificat animam, confertur character, quo homo redditur aptus ad recipienda alia Sacramenta.

Q. In quo differunt hi. 3. Baptiſmi? R. 1. in eo quod Baptiſmus Flāminis, & Sangvinis non imprimat characterem, ſicut Fluminis, & ſic ſi reſuſcitaretur mortuus cum Baptiſmo Flāminis, iterum baptizandus eſſet Baptiſmo Fluminis 2. quia in Baptiſmo Fluminis ſufficit attritio, jam vero in Flamminis contritio.

Q. An Baptiſmus diu differri poſſit, quando non eſt periculum mortis? R. ex receptiſſima Eccleſiæ conſvetudine ſub mortali diu differri non debet, ita ut ad 15. vel ad ſummum 20. dies, ſine urgenti cauſa differri, ſit mortale.

De Materia Baptismi.

Q. Quæ est materia Baptismi? *R. Remota* est aqua naturalis. *Proxima* verò est ablutio, vel immersio Corporis, vel notabilis aspersio.

Q. Quæ est materia valida in Baptismo? R. aqua naturalis seu elementaris, tam frigida, quàm calida, sive fluminis, sive putei, maris, fontis &c. 2*do* Aqua pluvialis, vel resoluta ex nive, glacie, grandine.

Q. Quæ est materia dubia? R. aqua rosacea, aqua ex sale resoluta, liquores ex arboribus emanantes, vel per distillationẽ ex herbis floribus *&c.* educti. Item iusculum, cerevisia tenuis, sicut & atramentum tenue, secùs foret, si hæc sint valde crassa, ita ut in eis non remanserit, quo ad substantiam, aqua naturalis.

Q. Quæ est materia invalida? R. Vinum, lac, urina, sanguis, oleum &c. idem sentiendum de nive, grandine, glacie, nisi prius dissolvantur.

Q. Quot modis potest fieri ablutio? R. 3bus infusione, immersione & notabili aspersione.

Q. Quis modus ex his servandus est? R. est servanda praxis propriarum Regionum, Provinciarum, & Ecclesiarum.

Q. Requiriturne trina infusio? R. Et si hodie sic exigitur, validè tamen baptizaretur unica infusione.

Q. An ad valorem Baptismi sufficit aspersio unius guttæ, vel duarum? R. Neg. com: DD. bene verò si fuerint aspersæ 5. *vel* 6. Aspersione non licet baptizare, nisi in necessitate *vg.* Peste Zambr.

Q. si hominis digitus vel pes abluatur, eritne validus Baptismus? R. Ordinariè debet ablui caput,

caput, ex Præcepto Eccleſiæ. Quod ſi in ſcapulis, vel pectore ablueretur, videtur ſatis certum nec amplius eſſe repetendum Baptiſmum, ſi vero manu pede, umbilico, vel capillis tantùm fuiſſet ablutus, fiet dubius Baptiſmus, & ſub conditione repetendus.

Q. Quoniam Baptiſmus fieri poſſet immerſione, ut dictum, ſi ergo puella ad celandum partum, animô Baptizandi infantem, vel alius quispiam jam agonizantem (in ſuppoſito quod nullum eſt remediùm aliud præter projiciendi eũ) projiciat in puteum, utrum validus eſſet Baptiſmus talis? *R.* Controvertunt DD. Ideò dico Baptiſmum fore dubium. De illicitate conveniunt fere omnes, quòd talis mortaliter peccaret, & ſi aliquis v r projiceret, fieret irregularis, eò quòd ſaltim indirectè occideret innocentem, non enim facienda ſunt mala, ut eveniant bona.

Q. Quid præterea Baptizans ſolemniter obſervare debet? *R.* hoc, quòd maximè vitandum ſit, ne in Baptiſmi adminiſtratione infantes ſupra fontem Baptiſmalem teneantur, ſed extra eundem, aqua Baptiſmi nitido vaſculo ſeu cochleari ex argento, vel alio metallo (quod tantùm huic uſui deſervit) ſupra Caput Baptizandi ab ipſomet Baptizante fundatur, ſuppoſitâ pel vi, malluvio, aut alio vaſe ad hoc præparato, ex quo aqua in ſacrarium, ſeu piſcinam effundatur, ne aqua ex capite Baptizati in fontem Baptiſmi dimanans, ipſum vel contaminet, vel etiam, ſi proles forte leprâ ſcabie, peſte, vel morbo ſimili contagioſo correpta ſit, inficiat.

De Forma Baptiſmi.

Q. Quæ eſt forma Baptiſmi? *R.* in Latina Eccle

Ecclesia usu recepta est hæc: *Ego te baptiso. In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Q. An Baptismus in nomine Xti collatus valet? *R.* Neg: si Apostoli baptizârunt in Nomine Xti, id fecerunt ex speciali Dei Dispensatione, ut Jesu Xti Nomen Judæis & Gentilibus odiosum honorabile redderetur.

Q. Baptismus in Nomine SS. Trinitatis, vel trium Personarum, vel Dei, vel Sanctæ Crucis collatus, an valet? *R*, neg: cùm distinctæ non exprimantur Personæ SS. Trinitatis necessariò exprimendæ. Quia cum Baptismus sit Sacramentum fidei, Deus voluit cum professione distincta Objecti Principalis fidei administrari.

Q. Quæ forma adhibenda esset, si plures. *vg.* in naufragio forent baptisandi? *R. Ego vos baptiso in nomine Patris. &c.*

Q. An valet Baptismus in eo casu, quo unus diceret formam, & mutus ablueret? *R.* Neg. quia non verificaretur forma.

Q. Qui sacrilegè iteraret Baptismum, quam pænam incurreret? *R.* Tam Baptisans scienter iterato, quam sic Baptizatus, jure civili plectuntur morte, jure autem Ecclesiastico fiunt irregulares.

De Ministro Baptismi.

Q. Quis est Minister Baptismi? *R.* Duplex est unus *Solemnitatis* seu ex officio scili: Sacerdos, alter *Necessitatis* scili: omnis homo viator, uti Laicus, fæmina, Hæreticus, Judæus, &c. dum in necessitate confertur Baptismus servandus est Ordo. Quare infidelis non debet Baptizare præsente fideli, nec mulier præsente viro, nec Laicus præsente Clerico.

q. An

Q. An licet Parocho infantem alterius Parochiæ ſolemniter Baptizare abſq; neceſſitate, vel licentia proprii Parochi ſeu Epiſcopi? *R.* Neg: & licèt factum teneret, graviter tamen peccaret, uſurpando jus alterius. Non tamen excommunicationem, vel irregularitatem incurreret, cum hoc non ſit in jure expreſsũ, *D Anton. Bonac. &c.*

Q. An Laicus tenetur infantem in periculo mortis conſtitutum, etiam cum vitæ propriæ periculo baptiſare? *R.* Affir. Nav. Pala. Bon. *ac.*

Q. An Sacerdos unicus in Pago exiſtens celebrans Miſſam poteſt recedere ab altari ad baptiſandum infantem, in periculo mortis exiſtentem, dum nemo ſcit modum baptiſandi? *R.* Affir: etiamſi conſecraverit, peracto Baptiſmo, redire debet ad conficiendum ſacrificium.

Q. An poteſt quis ſe ipſum Baptizare? *R.* Negat quia Xtus requirit diſtinctam Perſonam à Baptiſante, patet ex verbis ejus: *Bapt ſantes eos &c.* Ipſe etiam Xtus à Joanne baptiſatus eſt, & ſicut nemo poteſt ſeipſum generare, ita nec regenerare.

Q. Inno. III. Cap. de Bapt. dicit quod quidam Judæus ſe baptiſaverit, & ſalvatus eſt? *R.* Salvatus propter Baptiſmum Flãminis, non Fluminis.

Q. An valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamq; baptiſandi obſervat, intùs vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia? *R.* Non, nam damnata eſt contrarìa propoſitio ab Inno. VIII.

Q. An, ſi Baptiſmus ſemel ſolemniter adminiſtratus, poſtea reperiatur nullus fuiſſe, cæremoniæ

moniæ iterum sunt repetendæ? *R.* ita quidam antiquiores Theologi volunt apud Tan: sed contrarium à plerisq; recentioribus docetur, eò quòd finis, quem Ecclesia per cæremonias intendit, jam per primam earum administrationem, magna ex parte sit obtentus Lohn:

Q. Quo loco debet fieri Baptismus solemnis? *R.* Qui sine necessitate baptisat extra Ecclesiam, domi, vel alibi, peccat mortaliter, ex communi sententia. Solis enim Liberis Regum, aut Principum conceditur ex jure, ut in domibus, vel Oratoriis privatis, baptisentur.

De Subjecto.

Q. Quis capax est baptisari? *R.* Solus homo vivens, ab Adamo descendens, nondum baptisatus. Unde Satyr, seu animal genitum ex fæmina, & bruto, non est capax Baptismi.

Q Quid si nascatur monstrum habens caput ferinum, cætera membra humana? *R.* tale monstrum non esset prius baptisandum, quam constet esse hominem, dempto casu mortis, tunc sub conditione.

Q. Quid si dubium sit, an infans vivat? *R.* Baptisandus est sub conditione, ne fortè si vivus foret, permitteretur sine medio salutis.

Q. Si infans schedulam baptismi collo appensam habeat? *R.* tunc sub conditione baptisandus est *Marh &c.* & *com. DD.*

Q. An fætus licet imperfectè figuratus, si aliquod signum vitæ per motum præbeat, baptisari possit? *R.* Affir.

Q. An infans, qui ante partum videtur moriturus, possit in Matris utero ab obstetrice, vel alio quopiam baptisari? *R.* cum Suar: & 6. a-

liis

liis affir: si obstetrix adeò perita sit, ut manu in matris uterum insertâ, infantis corpus aliqua ex parte aqua perfundere possit, adjectâ verborum formâ consvetâ.

Q. An possit baptisari infans, qui solam manum, vel pedem ex utero porrigit? *R.* Cum suar: Con: Ponti. &c. Affir. est tamen talis infans, si periculam evadat, iterum postea sub conditione Baptisandus, sicut & in priori casu.

Q. An Infans ab Obstetrice Baptisatus, debeat iterum baptisari sub conditione? *R.* Cum Communiori affir: eò quod experientia doceat, obstetrices plerumq; in tali casu valdè perplexas, alias iterum aliquando veneficas esse, ut adeò meritò prudens dubium concipi possit de Baptismi valore.

Q. An infidelium filii jam morituri debent invitis Parentibus baptisari? *R.* Affir: quia sub veniendum est maximè indigenti, nec tunc est periculum subversionis, vel reditus ad suam fidē *sotus apud Opato.*

Q. An invitis Parentibus Hæreticis, licitum est eorum filios Catholicè baptisare? *R.* Affir: quia Hæretici Ecclesiæ jurisdictioni sunt subjecti, a qua proindè sine injuria compelluntur, ut parvulos suos ad Baptismum Catholicorum deferant. *Lay.*

Q. Ad conferendum Baptismum in adulto sivè absolutè, sivè conditionatè, quæ requiruntur ex parte baptisandi? *R.* tria 1. Intentio vel virtualis, vel juxta aliquos, habitualis, hoc est non retractata. 2. Mysteriorum fidei cognitio, sivè fides supernaturalis. 3. Si est in peccato mortali: requiritur dolor de peccatis, sufficit ad minimum, utattritionem eliciat. *De*

De Effectu Baptismi.

Q. Qui sunt effectus Baptismi? *R.* 1mus. & præcipuus est remissio peccati Originalis, & omnium actualium Baptismum præcedentium. 2do est totius pænæ peccato debitæ plena remissio absq; satisfactione, ex S. Thom: 3. est infusio gratiæ justificantis, & virtutum, ac etiam donorum concomitantium. 4. est jus ad auxilia fini ejus proportionata nempe ad sancte & Xtiane vivendum. 5. est unio moralis cum Xto, ut Capite ad participanda Ipsius merita. 6. est character. Præter hos effectus qui sunt ex institutione Christi, est alius ex determinatione Ecclesiæ, scil. Ablatio irregularitatis, & cognatio Spiritualis.

Q. Quam tollit irregularitatem Baptismus? *R.* provenientem ex delicto *Panor: Arm:* & provenientem ex homicidio non peccaminoso *Arm:* non autem provenientem ex Bigamia, nec irregularitatem ex defectu natalium ortam *Sylv: Arm.* Unde spurius infidelis deinde Baptisatus, nequit ad Ordines, dignitatesq; Ecclesiasticas promoveri sine dispensatione.

Q. An Baptismus liberat à pænis in foro externo debitis? *R.* Nega. & sic Baptismus non tollit à fure suspendium, cum homines debent ædificari ex pæna, sicut scandalizati sunt ex culpa. Unde potest quis in judicio accusari de perpetratis ante Baptismum, nec liberat à restitutione, liberat tamen ab infamia sequente peccatum in ratione peccati.

Q. Quid efficiunt ea quæ fiunt in Exorcismo? *R.* duo efficiunt scil: excludunt Baptismi impedimentum *extrinsecum* & *intrinsecum* Extrinsecum

cum hoc eſt Dæmonem, nè Baptiſmum, & alia bona impediat. Intrinſecum inquantum ſenſus ad percipienda ſalutis myſteria præcluſi, aperiuntur.

De Patrinis.

Q. Quid eſt Patrinus? *R.* Patrinus dicitur quaſi ſpiritualis Pater, ſeu Pædagogus baptiſandi, ſive ille, qui ſpondet ſe habiturum Paternam ſpiritualem curam ejus, qui Baptiſmum eſt ſuſcepturus.

Q. Quæ eſt obligatio Patrinorum? *R.* in fide inſtruere eos, quos levârunt ex S. Fonte, ſivè per ipſos ſive per alios.

Q. An ad valorem Baptiſmi neceſſarii ſunt Patrini? *R.* non, ſed de Præcepto adhibendi ſunt in ſolemni ſolùm Baptiſmo ſub mortali.

Q. Quæ requiruntur, ut quis ſit validè, ac verè Patrinus contrahens cognationem ſpirituale͂? *R.* 1. ut ſit Baptiſatus. 2. ut ſit compos rationis 3. ut intentionem agendi, more Eccleſiæ Patrinum habeat. 4. Ut Baptiſatum per ſe, vel per Procuratorem tangat, vel teneat.

Q. Quæ requiruntur ut quis licitè Patrinum agat? *R.* 1. nè ſit Hæreticus. 2. neſit publicè excommunicatus. 3. ne ſit moribus depravatus. 4. ne ſit ignarus Myſteriorum Fidei. 5. neſit impuber. 6. Bulla Pii V. de Patrinis ſic habet ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel ſanctimoniales, vel alicujus Ordinis Regulares à ſæculo ſegregati Lay Rod. San.

Q. An Hæreticus poteſt aliquando admitti pro Patrino? *R.* in his caſibus poſſe admitti Hæreticum pro Patrino, tenet Caſtrop. 1. ſi Sacerdos timeat probabiliter Parentis Baptiſati graviter

esse offendendos ob Patrini Hæretici repulsam. 2. si timet delaturos esse filium Ministro Hæretico baptisandum, quia eo casu Sacerdos minus malum permittit, ut graviora evitet.

Q. Utrum Catholicus rogatus à Lutherano aliove Hæretico, ut Prolem suam è S. Fonte suscipiat, Baptisante, Ministro Luterano obsequi possit? *R.* Negant alii; quidem, sed alii probabiliùs affirmant, ob praxim in Partibus septemtrionalibus, maximè si protestetur se nolle administrationem Hæreticam approbare, neq; juxta illum ritum sponsionem facere, sed juxta Ecclesiæ Rom: morem.

Q. Quot Patrini requiruntur? *R.* vel unus tantùm sive Vir sive mulier vel ad summum unus & una Trid. Sess. 24. Hinc nec cum dispensatione Eppi possunt esse duo ejusdem sexus quia est lex superioris.

Q. An plures possunt assistere quam duo? *R.* Affir: Si autem plures à Parentibus designati se ingerant ad tenendum Sacerdos potest initio dissimulare sed postea dicat satis esse si unus, vel unus & una infantem tangat, aut, si permittat omnes tangere designet cum aliquo signo externo, unum, vel unum & unam quibus solis tradet infantem baptisatum non autem aliis & illos solos annotet esse Patrinos reliquos fuisse testes. *Lacro.*

Q. An Sacerdos baptisans potest fieri Patrinus? *R.* Negant quidem aliqui nihilominus poterit hoc probabiliter fieri si baptisans substituat sibi alium qui nomine suo levet hoc enim nullo jure prohibetur. *Gob: n.* 585.

q. An

Q. An duo conjuges possunt simul levare infantem eundem? *R.* Affirmant *Nav. Sancti:* &c Ideo March: Aver: &c. dicunt constitutionem Urb: XI. non esse usu receptam.

Q. An Parens potest esse Patrinus proprii Filii? *R.* Neg: ita Comm. DD. nam sequeretur cognatio Spiritualis. Hinc amitteret jus petendi debitum, nisi cum eo dispensatum fuerit, reddere tamen posset. Etiamsi levaret in defectu aliorum Parentes coguntur, cum levatio infantis non sit de necessitate Baptismi. Sancti. Verum Kon: cum multis docet cognationem Spiritualem matrimonio etiam culpabiliter supervenientem non impedire usum matrimonii, cum hoc in jure non sit expressum, sed contraria sententia est communior.

Q. Quæ Personæ contrahunt cognationem Spiritualem in Baptismo? *R.* 1. Baptisans cum baptizato, Patre ac Matre Baptisati. 2. Levantes cum levato, ejusquè Patre & Matre, Cognatio hæc inter has solas Personas dirimit Matrimonium non extendendo se ad alias. Unde Patrinus cum Matrina, item Patrinus cum sorore levati, etiam cum Sorore Matris lelevati, potest contrahere Matrimonium.

Q. Quando non contrahitur hæc dicta cognatio? *R.* 1. in Baptismo non solemni. 2. nequè contrahit qui procuratorio nomine tantùm tenet. 3. Nequè tenens nolens fieri Patrinus. 4. Nec contrahit qui in Ecclesia duntaxat fuit præsens ei, qui Domi fuerat Baptisatus, sed dein in Ecclesia fuerunt peractæ solemnitates. 5. Nec Parens Baptisans Prolem in necessitate. 6. Non contrahitur inter Ministrum Baptismi, & Patrinos.

De

De Reliquis concernentibus Baptismum.

Q. An peccat Sacerdos omittens scriptionem in Metricam postquam baptisavit infantem? R. Peccat mortaliter docent Com: DD.

Q. Quodsi infans Spurius & illegitimus fuerit, & Parentes agnosci non possunt, quomodò scribetur in Metrica? R. Sic: Ego. NN. Baptisavi Filium N. Parentum ignotorum, Patrini fuerunt NN. Ita Bar: Pass.

Q. An dum spurius seu illegitimus infans baptisatur nomen Parentis inscribi debet? R. Potest scribi, sed nulla exstat obligatio hujus (nisi sit specialis loci alicujus lex) nam nec Mater tenetur, imo in certis casibus, & circumstantiis absquè peccato diffamationis non potest manifestare Parentem, & potest contingere, quod luxuriosæ Matres verum Patrem celarent, & crimen in alium conjicerent.

Q. Baptisatus Baptismate dubio, an est in loco Sacro sepeliendus? R. Affirmativè.

Q. Quid Parocho servandum est circa mulieres puerperas in purificatione post partum? R. 1. ante 14. saltem à partu diem egredi, & ad Ecclesiam venire non permittantur. 2. Non Domi, nec alibi nisi in Ecclesia benedicendæ, nisi Principum sunt conjuges. 3. Mulieres, quæ ex illicito concubitu pepererunt non benedicentur in pænam peccati, sub pæna suspensionis ipso facto incurrendæ. 4. Non substituatur mulier purificanda in locum puerperæ defunctæ. 5. Nec ad cadaver defunctæ in partu legantur preces purificationis. 6. Puerpera Acatholica ab ista benedictione excludenda est.

q. Puri-

Q. Purificatio Mulierum post partum an est necessaria? *R.* In novo testamento non est necessitatis, sive præcepti, sed devotionis est actus. *Ritus: Rom.*

De Sacramento Confirmationis.

Q. Quid est Confirmatio? *R.* Est Sacramentum, quô homo viator Baptisatus in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscriptâ verborũ formâ ungitur ad fidei robur consequendũ, quando autem à Christo institutum est, & quæ ejus materia jam dictum est superiùs.

Q. An est præceptũ suscipiendi hoc Sacramentũ? *R.* Nullum quidem est præceptum nec Divinum, nec Ecclesiasticum obligans sub mortali per se ad suscipiendum hoc Sacramentum *Com: DD.* poterit tamen ejus omissio esse mortale, vel ratione contemptûs, scandali, vel intrinsecæ necessitatis, periculi amittendi fidem, nisi Confirmationem suscipiat. *S Tho. Nav.*

Q. Quis est Minister hujus Sacramenti? *R.* Ordinariè est Episcopus, potest autem ex commissione Papæ etiam simplex Sacerdos esse Minister.

Q. Episcopus in sua Diæcesi potestnè alterius Diæcesis subditos confirmare? *R.* Affir: quia præsumi potest Episcopum proprium id ratum, & gratum habere. Non potest autem licitè in aliena Diæcesi etiam proprium subditum confirmare. *Syl. Tamb. Anton.*

Q. Quis est capax Confirmationis? *R.* Omnis homo baptisatus Viator saltem. 7. Annos habens.

Q. Quis est effectus Confirmationis? *R.* 1. Gratia habitualis, augmentum insuper actualis gratiæ, auxilium ac robur tempore oportuno confe-

conferendum ad Xti fidem constanter profitendā. 2. Contrahitur cognatio Spiritualis, uti in Baptismo. 3. Confertur character per quem baptizato traditur potestas agendi spectantia ad pugnam spiritualem contra fidei hostes. 4. remittit etiā peccata venialia.

Q. Quæ dispositio requiritur in suscipiente Confirmationē? R. 1. Intentio in adulto. 2. Fides ut Sacramentum cum fructu recipiatur. 3. Confessio si est in mortali, vel contritio perfecta.

Q. Alapa in faciem Confirmati ab Episcopo estne de essentia Confirmationis? R. Non, nec omittens, peccat, cum detur tantùm ut Confirmationis memor sit, & quod imposterum debeat multa perferre tanquam Christi miles, Unde pacem habebit cum Deo, secum, & proximo.

Q. An, & qualis requiritur in Confirmatione Patrinus? R. requiritur necessitate præcepti obligantis sub mortali, debet autem esse confirmatus ejusdem sexûs, cujus est confirmandus. An autem cum non Confirmato contrahatur cognatio, alii affirmant, alii probabilius negant.

Q. Patrinus in Baptismo, potestnè eundem tenere in Confirmatione? R. Neg: nisi necessitate cogente, tunc etiam mulier potest tenere Virum, & è converso. *S. Tho. Syl.*

Q. Quid significat oleum, & Balsamum? R. Oleum significat conscientiæ nitorem. Balsamū bonæ famæ odorem.

Q. Quæ sunt observanda à Parocho quoad Sacramentum Confirmationis? R. Cum scit ad venire Episcopum Confirmaturum suos subditos, debet explicare populo fructus, & necessitatem hujus,

hujus Sacramenti. 2. Docere debet æstimationẽ, respectum ad tantum Sacramentum, seu dispositionem ad illud dignè recipiendum. 3. Ecclesia ritè ornari debet, in qua danda est Confirmatio.

De Simonia.

Q. Unde dicitur, & quid est Simonia? R. Dicitur à Simone Mago, cui S. Petrus maledixit pro eo, quod ab Apostolis Spiritûs S. gratiam pecuniâ emere voluisset. Estquè: Studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquod Spirituale vel Spirituali annexum, ex genere suo est peccatum mortale.

Q. Quot sunt species Simoniæ? R. 3. *Mentalis* est internum propositum, quo quis confert alteri spirituale intendens eum obligare ad temporale reddendum, vel è contra.

2*da Conventionalis* est: quando tacitè vel expresse intercessit pactum citra, tamen executionem saltem utrinquè factam. Quod duobus modis fieri potest. 1. Si tantum initum pactum, non tamen ventum est ad traditionem: & hæc vocatur Simonia purè conventionalis. 2. si una pars dederit pretium, & altera non tradiderit rem Spiritualem, & è contra.

3*tia* Species Simoniæ *Realis* est: quando pactio ex utraquè parte completa est saltem inchoativè.

Q. Simonia confidentiæ ad quam speciem spectat? R. Ad conventionalem, quando quis sine expressa Papæ Licentia paciscitur cum eo, cui confert, vel resignat beneficium, ut illud cum suis fructibus cedat alteri, *vg.* Nepoti, aut fratri, dum habilis fuerit.

q. quo-

Q. Quomodo committitur hæc Simonia Confidentialis? R. 3pliciter. 1. Per accessum *vg.* Petrus cupit provideri Paulo necdum habenti ætatem, hinc Petrus hoc beneficium petit sibi, & suum resignat Andreæ cum pacto, ut Andreas tamdiu eò fruatur, sed postea resignet Paulo, cum ætatem habuerit.

2do Per regressum, uti: si Petrus Beneficium jam possessum resignet Paulo, reservans sibi jus redeundi ad illud, si Paulus illud accipiat.

3tio Per ingressum, uti: si Petrus collatum sibi Beneficium, sed necdum possessum Paulo resignet cum simili pacto, uti in regressu. pænæ hujus Simoniæ longè sunt graviores, quàm ullius alterius.

Q. Quotuplex est adhuc Simonia? R. Alia est *juris Divini* estq; prohibita propter malitiam suam. *vg.* hostiam consecratam vendere. Alia *juris humani* seu *Canonici* estq; mala tantùm propter prohibitionem; Et sic ab Ecclesia prohibetur venditio, vel emptio Beneficiorum &c.

Q. In Simonia quotuplex est pretium? R. 3plex. *Pretium muneris à manu* ut pecunia seu res omnis pecuniâ æstimabilis. *Pretium lingvæ sive muneris à lingva* ut laus. patrocinium, intercessio, &c. Si ex pacto fiant & obligationem inducant. *Et muneris obsequii.* Ut ministerium aliquod in rebus temporalibus quale est: Famuli Oeconomi &c.

Q. Materia circa quam committi potest simonia quotuplex est? R. 3plex. 1. Purè Spiritualis *vg.* Dona Spiritûs S. & gratiæ. 2. Purè corporalis. *vg.* sepultura, hæreditas Ecclsiæ &c. 3. mixta ex corporali & Spirituali. Uti Sacramenta, Sacramentalia, ornamenta

bene-

benedicta. &c. Ex quo patet quod ly *Spirituale* in definitione Simoniæ positum, non debeat accipi propriè, & ut sonat, sed impropriè scil: pro re sacra, seu pro re, quæ à Deo ut Authore gratiæ procedit, & ad Deum ut finem gratiæ ordinatur.

Q. Si Sacramenta propriè sint Spiritualia ad salutem animæ directè instituta, quomodo ergo Parochi pro Baptismo, Confessionibus ministratione Eucharistiæ &c. pecuniam à populo exigunt? R. talis pecunia non exigitur tanquam pretium Sacramenti, quod est inæstimabilis valoris, sed tanquam stipendium necessarium pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ.

Q. An potest Parochus ob denegatam pecuniam denegare Sacramenta? R. nullomodo sed debet alia via procedere aut ad Episcopum jus suum prosequi, alias enim non leve foret scandalum, species simoniæ, & grave detrimentum, si ob modicam pecuniam Spiritualibus remediis frustraretur populus. B. *Audivimus* 41.

Q. An pro dispensationibus in impedimentis matrimonii, voti & similibus accipere pecuniam sit Simoniacum? R. Omnis actus jurisdictionis Spiritualis regulariter ponit materiam simoniæ, præsertim verò si talis actus circa forum internũ, & relaxationem vinculi conscientiæ versetur.

Q. Quibus de causis potest dari pecunia absq; labe Simoniæ? R. Pluribus: per modum sustentationis Ministrorum rerum Spiritualium, per modum Elemosynæ, per modum oblationis, quæ fit Deo in suo Ministro, per modum liberalitatis, seu spontaneæ donationis, & gratitudinis, per modum laudabilis consvetudinis.

N q. Estne

Q. Estnè Simonia emere calicem consecratū vel albam benedictam? R. si pluris ematur ratione benedictionis est Simonia, secus si ematur ratione valoris tantùm.

Q. In quibus casibus non cōmittitur Simonia? R. 1. Redimendo vexam injustam ratione Beneficii. 2. Emendo pensionem merè temporalem vg. Decimam. 3. Dando aliquid resignanti in vim reparationis factæ. 4. Dando certum quantum pro institutione.

Q. Scientes & non manifestantes Simoniacum suntne Excommunicati? R. Affirmant aliqui adducentes *Extra Vag:* quia tamen hodie non est in usu, non censentur esse excommunicati.

Q. Quæ sunt pænæ Simoniacorum realium, & confidentialium in beneficiis, seu Officiis Ecclesiasticis? R. Realium sunt. 1. Excommunicatio Papæ reservata. 2. Collatio seu præsentatio, Electio protunc est nulla. 3. Obligatio restituendi fructus perceptos Ecclesiæ, loci, aut pauperibus ante omnem judicis sententiam, nam injustè beneficium possidetur. 4. Inhabilitas ad idem beneficium.

Ut autem Simoniacus dictas pænas incurrat oportet Simoniam esse consummatam, & perfectam. Per Simoniam mentalem nulla incurritur pæna, idem docent com: DD. de Simonia conventionali, quæ ex neutra parte emanavit, & si pretium datum fuisset, si res nondum tradita.

Q. Episcopus potestnè absolvere suum subditum à Simonia occulta? R. Potest. imo omnē Simoniacum occultum, modo non sit Simoniacus in ordine, vel Beneficio. Host: in sum: N. 16.

CAPUT

CAPUT XI.

De Presbyteratu.

Q. Quid significat hoc nomen Presbyter? R. significat eum, qui charactere, ac dignitate Sacerdotali insignitus est. Sacerdos autem dicitur, quasi sacra dans, vel Sacer Dux, vel sacra docens.

Q. Quid est Presbyteratus? R. Est Spiritualis potestas, quâ ordinatus in Presbyteratum, Christi Corpus, & Sangvinem conficere potest.

Q. A quo, & quando institutus fuit Presbyteratûs Ordo? R. à Xto Dno, cùm post ultitimam Cænam, Panem & vinum in Corpus & Sangvinem simul convertit dicens: *Accipite & comedite &c.*

Q. Ubi fuit præsignatus Presbyteratûs Ordo? R. in Filiis Aaron Sacerdotibus.

Q. Quam scientiam debet habere ordinandus ad Sacerdotium? R. Ex Trid: requiritur tanta scientia; quâ ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur, atq; ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

Q. Quomodo differt Sacerdotium novæ legis ab illo legis veteris? R. differt per hoc quòd Sacerdotes. V. L. per eorum sacrificia non conferebant gratiam, nostri verò impetrant nobis gratiam per sacrificia. Illi nullum habebant Ordinis characterem, nostri verò habent. Undè illi erant figura nostrorum. N2 Q.

Q. Quæ eſt materia Ordinis Presbyteratûs? *R.* eſt 2plex, nam 2plex eſt poteſtas Sacerdotis in Corpus Xti verum, & Corpus Xti Myſticum. Materia remota primæ poteſtatis, eſt calix cum vino aquâ mixto, & patena cum hoſtia *Proxima* verò eſt eorundem traditio. Materia *remota* 2dæ poteſtatis. Sunt manus Epiſcopi. *Proxima* verò, eſt impoſitio manuum. *Forma* ordinis Presbyteratus ſunt: verba in traditione dictarum materiarum expreſſa.

Q. An valida eſſet ordinatio ſi ordinandus tangat Calicem & Patenam, non verò immediatè hoſtiam? *R.* Affir: ſatis namquè dicitur tangere, & acceptare hoſtiam, dum tangit, & acceptat vas, in quo eſt hoſtia.

Q. Si tradatur hoſtia immediatè in manus Sacerdotis, vel ſi tradatur hoſtia & vinum ſimul immixta in calice, an valida eſſet ordinatio? *R.* Affir: quia de eſſentia ordinis Sacerdotii eſt illarum ſubſtantiarum traditio, & ſolum per congruentiam ex præcepto traduntur in Calice & patena.

Q. An valida eſſet Ordinatio ſi tangatur ſolus Calix absq; eo, quod immediatè tangatur ipſa patena? *R.* Affir: quia Calix & patena ei ſuper impoſita, videntur facere unum, ex præcepto tamen tam calix, quam Patena ſunt tangenda.

Q. An validè aliquis ordinaretur ſi ei ex oblivione traderetur Calix ſine vino? *R.* Affirmant nonnulli. Verum probabilior eſt negativa, nam materia Ordinis Presbyteratûs eſt traditio Patenæ cum Hoſtia, & Calicis cum vino, ac proindè ſi in patena non ſit hoſtia. & in Calice vinum, deeſt materia neceſſaria. Villal: &c.

Q. An valida esset ordinatio si tradatur vinum aquâ non mixtum? *R.* Affir: quia aqua solum ex præcepto requiritur.

Q. An valida esset Ordinatio, si tradatur solus Calix cum vino, vel sola Patena cum hostia? *R.* Neg: nam utraquè species tradi debet.

Q. An validè ordinaretur si una manu solũ tangat materiam? *R.* Affir:

Q. An Ordinatus accepta prima potestate in Corpus Christi verum, antequam accipiat 2dam, validè conficiat Corpus & Sangvinem Christi? *R.* Affir: quia jam tunc habet plenam potestatẽ in Corpus Christi verum, & verè dici potest Sacerdos.

Q. An si quis per errorem acciperet 2dam potestatem sine prima, validè absolveret à peccatis? *R.* Neg: quia potestas in Corpus Xti Mysticum essentialiter præsupponit potestatem in Corpus Christi verum, siquidem per hanc propriè fit quis Sacerdos, & 2da potestas dari nequit nisi Sacerdoti.

Q. An autem possit absolvere à peccatis, cui tradita est sola potestas in Corpus Christi verũ? *R.* Probabilius quod non, quia sunt distinctæ potestates quæ non conferuntur, nisi adhibitis debitis materiâ & formâ.

Q. Quod est Officium Sacerdotis? *R.* 1. Est consecrare, & offerre Corpus & Sangvinem D. N. J. C. 2. à peccatis absolvere, Sacramenta administrare, populum instruere, verbô & exemplô ad virtutes pietatemq; inflammare, fructus terræ benedicere &c.

De Euchariſtia.

Q. Quid intelligitur per ly Euchariſtia? *R.* nomine hoc intelliguntur panis & vinum benedicta, ſeu conſecrata illâ verborum formâ, quâ Xtus benedixit, & conſecravit in ultima cæna; Euchariſtia latinè dicitur: bona gratia, ſeu gratiarum actio.

Q. Quid eſt Euchariſtia? *R.* Eſt Sacramentum ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis, vel alterius eorum, verum Chriſti Corpus & Sangvinem realiter continens ad ſpiritualis vitæ nutritionem inſtitutum *S. Tho.*

Q. Propter quos fines inſtitutum eſt? *R.* 1. Ut in medio populi Chriſtiani Chriſtus ſit realiter, licèt latenter præſens. 2. Ut fideles habeant refectionem Spiritualem. 3. Ut detur ſacrificium in Eccleſia. 4. Ut detur ſignum infiniti amoris, quo Xtus dilexit nos. 5. Ut eſſet memoriale Paſſionis, tandem ut detur pignus æternæ beatitudinis.

Q. Quæ circa Euchariſtiam ſub anathemate definivit Conc: Trid: ? *R.* 1. Verum Corpus & Sangvinem Chriſti contineri realiter. 2. Nihil ſubſtantiæ panis & vini remanere poſt Conſecrationem. 3. Sub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſeparata contineri, totum Corpus & Sangvinem Chriſti. 4. Eſſe idem Corpus & Sangvinem Chriſti in hoc Sacramento, non ſolùm dum ſumitur, ſed etiam ante. 5. Remiſſionem peccatorum eſſe fructum ejus. 6. Eſſe adorandum cultu Latriæ. 7. Non ſufficere ſolam fidem ad benè communicandum. 8. Sumi totum Chriſtũ realiter in Communione.

q. An

Q. An plures hostiæ sunt plura Sacramenta? R. si plures hostiæ considerentur 2dum se, dici possunt plura Sacramenta materialiter, seu plura individua Sacramenti, quia sunt distinctæ numero materiæ, & etiam formæ, si hostiæ, à diversis Sacerdotibus sunt consecratæ, si autem considerentur quatenùs uno actu sumuntur, sunt unum Sacramentum.

Q. Quomodo Xtus existit integer in Sacramento & in Cælo? R. in Cælo juxta modum existendi naturalem, in Sacramento verò Sacramentaliter, totus in toto, & totus in qualibet hostiæ, aut vini consecrati parte.

Q. Qualiter post consecrationem existit Christus sub specie panis, & vini? R. Sub specie panis existit Corpus Christi vi verborum formaliter, & per concomitantiam existit Sangvis, Anima, Divinitas, & etiam tota Trinitas. Similiter sub specie vini Sangvis venit vi verborum formaliter, Corpus verò & reliqua per concomitantiam. Ita post consecrationem existit Christus in Sacramento verus Deus, & homo realiter, & substantialitèr.

Q. Post consecrationem manetnè substantia panis & vini? R. non, sed solùm accidentia color, sapor, &c. quia substantia panis, & vini transit in substantiam Corporis, & Sangvinis Christi.

Q. Eucharistia etiam post consecrationem dicitur Panis, ergoCorpus Xti non existit substantialiter? R. Dicitur panis, non quòd substantialiter talis sit, sed quòd forma externa panis remaneat.

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

Q. Quis est Minister Sacramenti Eucharistiæ?

R. 2plex

R. 2plex Ministri actio in hoc Sacramento reperitur, una circa ipsius consecrationem, & alia circa administrationem. Minister *Consecrationis* est solus Sacerdos ritè ordinatus, etiam excommunicatus, degradatus. 2. Minister *ordinarius* ad administrationem, est solus Sacerdos. Minister *extraordinarius* potest esse Diaconus.

Q. An mortaliter peccat Sacerdos Eucharistiam dispensando in mortali? *R.* Cum probabiliore Affir: *Val: Suar: Fil: & alii.* Quod autem toties peccet, quod sunt personæ, quibus dispensat uno eodemq; tempore, improbabile est.

Q. An licet dare Eucharistiam aliis digitis si indice & pollice darè nequeat? *R.* si æger sine viatico moriturus esset dari potest, & debet, citra viaticum autem etiam dari potest. sententia valde probabilis est, quia ratione primorum digitorum tota manus videtur consecrata, qui tamen sine causa ultimis digitis tangeret hostiam venialiter peccaret. juxta *Gob.*

Q. Quid faciendum est hostiâ decidente in terram? *R.* locus tegendus est, re aliqua mundâ, & postea abluendus. Ablutio tamen vestis, barbæ, ordinariè non præcipitur, quia melius est vitari turbationem populi, quàm Rubricam illã observari. Quodsi hostia decidat in sinum mulieris, permitti potest, ut ipsamet, vel alia mulier manu sua extrahat, indecens enim foret si Sacerdos ipse eximeret. Abluendi tamen erunt digiti mulieris. De micis, si decidant, idem servandum est. Si vero adeo sunt minutæ, ut observari nequeant. Angelis S. colligendi cura est committenda.

q.

Q. Quid facere debet Sacerdos distribuens Communionem si *vg.* fæminam videat Sacram hostiam ex ore in strophium servare? *R.* Debet omnibus modis illam tacitè observare, & postea Sacram ab illa hostiam repetere non tenetur eam publicè arguere, per hoc enim infamaretur, foretq; etiam Sacerdoti nimis periculosum: quia fortè deponeret præsentiens vomitum, vel quia recordatur peccati, & putat melius esse sic deponere quam deglutire. Ita *La. Croa.*

Q. Quid faciendum si Sacramentum evomi contingat? *R.* Si ab aliquo communicante, vel à Sacerdote ipso sine nausea absumi potest sacra Hostia, separetur à rejactamentis cæteris, & absumatur, secùs in loco separata reponatur, donec corrumpatur, tum verò comburatur, & Cineres in sacrarium mittantur.

Q. Sacerdos more Laicorum communicans potestnè cum Corpore Xti Sangvinem sumere? R. Neg: Debet autem semper dum communicat etiam in ægritudine cum stola communicare.

Q. An si quotidie ab aliquo peteretur illi danda foret à Sacerdote? Affirmat Joan. Sancius idq; per plura argumenta & declarationem Cardinalium probat Trid: Ses. 22. c. 6. loquitur sic: *Optaret S. Synodus ut in singulis Missis fideles non solū spirituali affectu sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Rectè tamen aliqui limitant hanc doctrinam ajuntquè conjugatis carnali commertio inservientibus non facile quotidie communionem permittendam.

Q. An deficientibus particulis potest celebrans de sua hostia partem dare communicare volenti?

lenti? R. Affir: cum Fag: & aliis pluribus quia hoc non obstat integritati Sacrificii.

Q. An est præceptum ut coram SSmo lampas continuò ardeat? R. consvetudo jam obtinuit vim præcepti. *Sa: Alloz: &c.* Ut omninò ardeat decrevit. S. R. C. Año 1699. 27. Aug.

De Suscipiente.

Q. Quod est subjectum Eucharistiæ? R. Solus, & omnis homo baptisatus. non baptisatus reciperet quidem Eucharistiam validè, solum materialiter, non Sacramentaliter.

Q. An & quando fideles tenentur sumere Eucharistiam ex præcepto Divino? R. Jure Divino præcepta est sumptio Eucharistiæ ab ipso Christo Joan. 6. *nisi manducaveritis &c.* Obligat verò 1mo sub mortali in Articulo mortis, sive naturalis, sive violentæ. Deindè etiam in reliqua vita, quoties tali remedio opus est ad perseverandum in statu gratiæ.

Q. An injustè excommunicato privatè petenti potest dari communio? R. Affirmat Alloza citans com: DD.

Q. An Sacerdos indigno tenetur Sacramenta negare cum gravi damno proprio? R. probabilius neg: Alloz.

Q. Quô in loco tenetur quis communicare? R. Extra tempus Paschale, in quacunquè Ecclesia, ut verò satisfaciat Præcepto annuæ Communionis in Paschate, debet cõmunicare vel in propria Parochia, vel in alia Ecclesia de sui Parochi licentia, secus non satisfacit præcepto. Com: DD.

Q. An fuit aliquando in Ecclesia consvetudo communicandi sub utraquè speciè? R. Affir:

Inter-

Interdixit tamen Ecclesia populo ſumptionem Sangvinis. 1. ob periculum effuſionis. 2. ne ſpecies corrumpantur. Unde pro infirmis ſervari non poteſt. 3. Quia multì habent nauſeam vini, imo nonnullæ Provinciæ vini inopiâ valdè laborant. 4. Ut Sacerdos hac dignitate ſupra populum fulgeat, tandem ad tollendum errorem docentium totum Xtum non contineri ſub utraquè ſpecìe.

De Viatico.

Q. Quid nomine Viatici intelligitur? R. Euchariſtia iis dari ſolita, qui vitâ diſceſſuri brevi creduntur, ut medìo hoc pro via in domum æternitatis iis proſpiciatur. Confert enim ex opere operato ſpecialia auxilia in morte juvantia. Com: DD.

Q. An graviter peccat infirmus adultus, qui Viaticum ſumere recuſat? R. Affir: niſi eodem die communicaſſet, quia materia eſt gravis conducens valde ad animæ bonum in articulo periculoſiſſimo.

Q. An, qui hodie communicavit ex devotione, poteſt non jejunus denuò ſumere SS. Euchariſtiam per modum viatici, ſi ſit periculum mortis? R. Affir: Com: DD.

Q. Quibus dari poteſt Viaticum? R. 1. Surdis & mutis & ſi à nativitate ſunt tales. *Laij:* quia licet tales diſtinctè edoceri, & intelligere omnia non poſſunt, ſufficit tamen, ſi ad Euchariſtiam accedant, tanquam ad cibum Spiritualem ad animæ ſalutem Divinitùs inſtitutum, id quod intelligere poſſunt, ſi videant alios cum magna reverentia ſumere.

2do

2do Energumenis, si absquè periculo irreverentiæ communicare possunt. *Lay. Cass.*

3tio Amentibus, Phreneticis, Epilepticis dari posse Viaticum docet communis apud Diau: Si non sit periculum nè Hostiam S. indignè tractent, id quod oblatione unius alteriusvè hostiæ non consecratæ probari potest. Et dum non publicè constet eos notoriè fuisse Excommunicatos, aut notorios peccatores, & signa Pænitentiæ interea non dedisse.

Q. An potest dari Viaticum sæpius in eodem morbo, si petatur? R. Affir: *Gob: D:cast.*

Q. Si infirmus maximam habet oris siccitatē ratione cujus hostiam deglutire non posset, nisi ei ministretur simul cum vino, possetnè id fieri? R. Affir: *Alar: Suar: &c.* si prius aliquid vini descendat.

Q. Damnato ad mortem, si ejus supplicium differri non potest, an potest dari etiam non jejuno licet etiam post horam ducendus sit ad mortem? R. Potest, ordinarie tamen dari solet pridie mortis.

Q. Quid faciet Sacerdos si infirmus recepto Viatico statim moriatur? R. si deglutat, nihil amplius faciendum. Si particula remansit in ore Defuncti, extrahenda est, & corruptis speciebus ponenda in Sacrario. Si nihil appareat in ore Defuncti, credendum illam deglutivisse.

Q. Potestnè Parochus administrare Viaticum peste infectis ob periculum vitæ virgulâ oblonga, aut aliô instrumentò? R. Multi quidem negant, sed plurimi cum *Posse: Servio: Marchan: &c.* affirmant in casu, quo nequè scandalum, nequè

peri-

periculum lapsûs in terram adeſt. Cur enim non poſſit S. Hoſtia imponi fruſtello panis, ut ex eo devotè peſtê infectus lingvâ eam recipiat, & illum fruſtellum immediatè decomedat?

Quidam curant benedici particulas Corporalium in quibus S. Hoſtiam deponunt loco ſecuro, ad quem ægro ſit acceſſus, ut ipſe ſumere poſſit, quæ pars corporalis, ſeu illud involucrum igni poſtea traditur. Practicatum id fuiſſe in Polonia tempore peſtis ex certis relationibus conſtat.

Alii capſulis vel parvulis vitris utuntur, è quibus æger S. Hoſtiam deſumit.

Q. Sub qua forma dari debet Viaticum? R. ſub hac: *Accipe* (*Frater vel Soror*) *Viaticum Corporis Dni* N. *J*. C. *qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat te ad vitam æternam. Amen.*

De Præparatione & effectu.

Q. Quæ diſpoſitiones requiruntur ad hoc Sacramentum dignè ſuſcipiendum & cum fructu? R. Ex parte animæ intentio actualis, vel virtualis communicandi. 2. Status gratiæ. 3. Ne ſit Excommunicatus. Ex parte corporis jejunium requiritur naturale.

Q. Poſt Euchariſtiæ Sumptionem licetnè ſtatim expuere? R. Neg: ob Sacramenti reverentiam, ne ſi aliqua particula dentibus vel alibi inhæreat, expui contingat, ad hoc verò neceſſitate compulſus, in loco honeſto expuet.

Q. Quâ horâ poteſt quis ſumere Communionem? R. quâvis horâ, dummodo ſit jejunus, hora tamen congruentior eſt matutina.

Q. Qui ſunt effectus Euchariſtiæ? R. Augmentum gratiæ, præſervatiò à mortalibus, &

liberat

liberat à venialibus, unio Spiritualis cum Christo, auxilium ad ſanctè vivendum, & ad pellendas tentationes, poteſt conferre primam gratiam. Præcipuus eſt effectus adeptio gloriæ æternæ.

Q. An hoc Sacramentum cauſat gratiam quamdiu perſeverat in ſtomacho? R. Affir: ſi adſit augmentum novæ diſpoſitionis, cum enim inſtitutum ſit per modum cibi corporalis, & maneat in eo virtus prior, ſicut cibus corporalis operatur, quamdiu eſt in ſtomacho, ita & hoc Sacramentum.

Q. Conferturnè per utramquè ſpeciem continuatim ſumptam major gratia, quàm per unam tantùm? R. Cum Com: neg: ſicut nec duæ hoſtiæ ſi continuatim ſumantur plus gratiæ conferunt, quam una per ſe loquendo. Et certe cum æquè totus ſit Chriſtus ſub una ſpecie, ac ſub altera non eſt ratio dicendi, quod utraquè plus conferat.

De Materia.

Q. Quæ eſſentialiter requiruntur ad confectionem Sacramenti Euchariſtiæ? R. Materia debita, forma certa, & debitus miniſter cum intentione.

Q. Cum Euchariſtiæ Sacramentum conſtat Corpore & Sangvine Dñi N. J. C. quæ eſt materia ejus? R. 2plex materia eſt una nimirum quo ad Corpus, altera verò quo ad Sangvinem.

Q. Quæ eſt materia Corporis Chriſti? R. Panis triticeus de valore, idque in Eccleſia Latina ex præcepto debet ,eſſe azymus, id eſt non fermentatus. Materia verò proxima ſunt ſpecies conſecratæ, nempè accidentia panis & vini.

Q. Si triticum fuerit mixtum aliis granis, an erit materia valida? *R.* Affir. si major pars sit triticum. Si autem mixtiò fiat per partes æquales, inepta erit.

Q. Deficiente magna hostia, potestnè Sacerdos sacrum facere adhibendo parvam Hostiam? R. Potest, si scandalum abesset, etiam ob solam devotionem, quia nullum extat præceptum de consecranda hostia majore, vel minore, utrobiquè enim sacrificium æquè perficitur. *S. Tho. Tamb.*

Q. Sacerdos si plures hostias deferat consecrandas ad altare cum intentione eas consecrare, sed in consecrationis actu solius hostiæ quam præ manibus habet recordetur, eruntnè omnes consecratæ? *R.* Affir: *Scotus Panorm*: quia intentio præcedens perseverat saltem virtualiter.

Q. Sacerdos consecrans putat solum esse 6. Hostias & sunt 10. an censentur omnes esse consecratæ? *R.* Affir: quia error speculativus quo Sacerdos existimat esse pauciores, nihil obstat intentioni, quam ex praxi Ecclesiæ implicitè habere censetur consecrandi omnes hostias præsentes quotquot sunt, secùs dicendum si contrariam intentionem haberet. *Sua: Con: &c.*

Q. Si Hostiæ consecratæ misceantur non consecratis quid faciendum est Sacerdoti? *R.* totũ hostiarum cumulum dum sacrum peragit sibi apponere curabit, intentionemquè eliciat tantùm eas consecrandi, quæ non sunt consecratæ.

Q. Dum sunt consecrandæ parvæ hostiæ pro communicantibus, quando sacrificandi adesse debent? *R.* Ad Offertorium deferri debent, alioquin erit consecratio illicita. Si autem in necessitate aliqua consecrandæ adferentur hostiæ post

offer-

offertorium, Sacerdos ſupplebit oblationem ſola mente. *Poſſe: Gob:*

Q. An poſſit hoſtia fracta adhiberi ad ſacrificium? *R.* Si advertatur fracta ante oblationem, debet alia accipi præciſo ſcandalo. Poſt oblationem verò debet eadem conſecrari, niſi fractura evidenter appareat populo, debet tunc alia accipi, offerri, & conſecrari, & prior oblata hoſtia ſumi poſt ſumptionem ſacrificii.

Q. Quale peccatum foret adhibere Hoſtiam fractam? *R.* ſi adhuc ſit apta ad ſervandos ritus præſcriptos, non eſſet plusquam veniale.

Q. Quid ſi poſt conſecrationem hoſtia frangeretur totaliter ad duas partes? *R.* Tunc adhibenda eſt major pars ad ritus peragendos.

Q. Quale peccatum foret adhibere hoſtiam maculatam? *R.* ſi leviter foret maculata eſſet veniale, ſi graviter, mortale, quia gravis eſſet irreverentia.

Q. Quam citò renovatio SSmi debet fieri? *R.* de æſtate ſaltem bis in menſe, de hyeme verò omninò ſemel in menſe.

De Materia Sangvinis.

Q. Quæ eſt materia remota Sacramenti ſangvinis? R. Vinum de vite, ſivè album: muſtũ id eſt liquor ex uvis maturis recenter expreſſus, modo non ſit impurus.

Q. An vinum congelatum poteſt conſecrari? *R.* & ſi non ſit materia decens, & conveniens, eſt tamen ſufficiens; ſivè ut aliis dicam verbis: valide, ſed illicitè conſecraretur.

Q. Vino an omnino debet admiſceri aqua? *R.* Affir: & quidem ſub mortali, ſufficient autẽ. 3. aut 4. guttæ.

q. Cur

Q. Cur miſcenda eſt aqua vino? R. 1. ob Xti imitationem, ob Sangvinis & aquæ, è Chriſti latere fluentium repræſentationem, & ob populi cum Chriſto unionis ſignificationem.

Q. Quid agendum ſi advertatur aquam non fuiſſe mixtam vino? *R.* Miſcendam eſſe, ſi ante conſecrationem advertatur, ſecus ſi poſt illam, quia jam erit mixtio inutilis.

Q. Si vino jam eſt appoſita aqua in dolio, vel aliàs, eſtnè adhuc ponenda in Calice? *R.* Affir. quia ſignificatio ab Eccleſia intenta, ſcilicet unionis populi cum Chriſto tunc completur.

Q. An in Calice, loco aquæ naturalis, poteſt apponi artificialis, ut Roſeacea? *R.* negvè & licèt Sacramentum teneret, Sacerdos tamen mortaliter peccaret. S. Tho.

Q. Deficientè vino, licètnè ſacrum facere conſecrando ſolam materiam panis? *R.* Nullo caſu licet, quia eſſentialis ratio Sacrificii conſiſtit in Conſecratione utriusquè materiæ, panis ſcilicet & vini. Sua: Lay. cum communi.

Q. Cur Sacrificium Miſſæ ad ſuam perfectionem requirit duplicis materiæ conſecrationem? R. quia ſacrificium incruentum Altaris, eſt repræſentatio, ſive inſtauratio ſacrificii cruenti Crucis, in qua Xtus Dominus ſuum Corpus, & Sangvinem obtulit æterno Patri, pro redemptione mundi.

De Forma.

Q. Quæ eſt Sacramenti Corporis Xti forma? R. Illa: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Sacerdos omittens *enim* validè conſecraret, cum non ſit de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti, & ſolùm peccaret venialiter illud omittens.

Q. Quænam est Christi Sangvinis Sacramenti forma? *R.* Illa. *Hic est enim Calix sangvinis mei novi & æterni Testamenti &c.* Probabilius est quod solùm hæc verba recensita sint de valore Sacramenti. Qui tamen his solis verbis consecraret, omissis aliis, peccaret mortaliter, eò quod sunt de necessitate præcepti.

Q. Quis est sensus dictæ formæ? *R.* Ille: hic potus contentus in Calice, est Sangvis meus.

Q. Forma panis potestnè variari? *R.* non potest substantialiter, & formaliter; secus accidentaliter, & materialiter. Hinc non conficitur Sacramentum dicendo: *Hoc est Corpus Christi:* nec *hic panis est Corpus meum*: neque *hoc fit Corpus Christi vel meum.* Validè tamen conficeretur dicendo: *Hic cibus vel hæc res est corpus meum vel hoc est corpus meum dilectum sanctum.*

Q. In consecratione Calicis dicitur: *qui pro vobis & pro multis* nonne Christus suum effudit Sangvinem pro omnibus? *R.* Christus quidem suum effudit Sangvinem pro redemptione omnium sufficienter, non efficienter, hoc est, quantum ad effectum: quia multi non salvantur ob suum defectum, & indispositionem, eò quod ponant obicem Divinæ gratiæ.

Q. Verba Consecrationis quâ voce proferri debent à Celebrante? *R.* verba consecrationis aliaquè secreta secretò, id est, eâ voce, quâ remotis impedimentis ab ipso tantùm Sacerdote audiri possunt, proferenda sunt.

De Missæ Sacrificio.

Q. Hoc nomen Missa unde desumptum est? *R.* à verbo *mitto*, quia per consecrationem Christus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem, & sum-

& sumptionem à nobis remittitur ad Patrem, venus Mediator Dei & hominum, & post eam populus dimittitur. Unde illud: *Ite missa est* Suar. Bon: Becan.

Q. Quid est Missæ Sacrificium? *R.* Est Sacrificium novæ legis institutum à Christo, sive consecratio, oblatio, & sumptio Corporis & Sangvinis Christi incruenta sub speciebus panis, & vini, in memoriam cruenti Sacrificii olim in Cruce peracti.

Q. In quo essentialiter consistit? *R.* Varia est sententia DD. probabilior videtur opinio illorum, qui docent sacrificium Missæ essentialiter consistere in Consecratione, & sumptione utriusque speciei S. Th. Belar.

Q. Unde constat Missam esse propriè Sacrificium idquè in lege nova unicum? *R.* Ex Scriptura, & continua ab Apostolorum temporibus traditione.

Q. An non datur aliud Sacrificium in lege nova? *R.* non datur, quàm quod in altari quotidie ab Ecclesia Deo offertur, nequè differt specie ab illo, quod Xtus Dominus semel in ara crucis obtulit, ita ut una eademquè sit hostia, idēquè nunc quotidie in altari offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit Ita comm: DD.

Q. Quomodo differt Sacrificium, quod in Missa offertur, ab illo quod in cruce oblatum est? *R.* Christus in Cruce passibiliter, & cruentè, id est cum multis cruciatibus Corporis, & Sangvinis à carne sua separatione se se obtulit Deo Patri. In Missa autem sic non offertur, quasi aliquid in se patiatur, sed modo quodam pacifico, in quo

nec dolor infertur, nec feparatur Sangvis à corpore, fed folùm fignificatur talis feparatio.

Q. Quot funt offerentes facrificium Miffæ? R. 3. 1*mus* eft Chriftus qui æternum habet Sacerdotium. 2. Eft Sacerdos. 3. qui dat Eleemofynam pro facrificio, imo & adftantes omnes.

Q. Cui offerri debet Sacrificium? *R.* Uni & foli Deo Patri, Filio, & Spiritui S. Eft enim cultus latriæ, qui foli Deo debetur.

Q. Quando celebratur Miffa in honorem SSrũ quid intendit Ecclefia? *R.* Interceffionem eorum obtinere apud Deum.

Q. Quotuplex eft Sacrificium? *R.* Ob varios fines, variè dividitur 1. Dicitur *Latreuticum* inquantum per illud fupremus Deo redditur cultus latriæ. 2. *Eucbariſticum* feu gratiarum Actorium per quod redduntur gratiarum actiones pro beneficiis exhibitis. 3. *Propitiatorium* quod offertur pro remiffione peccatorum. Aliter vocatur Expiatorium inquantum per illud expiantur peccata, feu Deprecatorium. 4. Dicitur *Satisfactorium* cum juftitiæ Divinæ per facrificium fatisfacere volumus.

Q. Quæ funt obfervanda circa Miffam? *R.* Adhibenda eft debita præparatio, cavendumquè eft, nè quis indutus facris veftibus, vel dum illis fe induit inutilibûs, & ad rem Divinam impertinentibûs occupetur difcurfibûs. Sanè revidendũ, fi Corporale & Purificatorium fint munda, nam Sylvefter, lethalis peccati illum arguit qui enormiter cum immundis celebrat paramentis.

Q. Quare Ecclefia inftituit ut in Miffa quædam dicerentur fubmifsè, quædam clarè, & quare

re adhibet vestes peculiares sacras cæremonias, & luminaria in hoc sacrificio peragendo? *R.* Ut mentes hominum elevet ad meditationem rerum Divinarum, & ut majestas tanti sacrificii commendetur, quod ritè factum est ex Apostolica traditione.

De Ministro.

Q. Quis potest offerre Sacrificium Missæ? *R.* Solus Sacerdos ritè ordinatus, ita ut si alius facere id attentet, is sanè nihil efficiat.

Q. Quæ sunt dispositiones requisitæ ex parte Sacerdotis offerentis ad sacrificium fructuosè offerrendum? *R.* 1. Ex parte Corporis debet esse jejunus. 2. Ex parte animæ, ut non sit Censurîs innodatus, ut conscientiam à peccato mortali immunem habeat, celebrandiquè intentionẽ.

Q. Licetnè aliquando Sacerdoti sacrum facere non jejuno? *R.* licet in his casibus: 1. Si aquam loco vini ex errore in Calicem infusam sumpserit, tunc enim tenetur aliud vinum in calicem infundere cum mixtione aquæ, intentionẽ facere, & statim consecrare, atquè sic sumere, ut sit sacrificium integrum. 2. si post ablutionem sumptam reperiat aliquod fragmentum suæ hostiæ super Patena, seu corporali, nam horum fragmentorum sumptio spectat ad unum & idem sacrificium.

3*tio* Si post consecrationem ægritudine correptus sacrificans non possit prosequi sacrificium, vel è vivis excedat, potest, imo debet alius etiam non jejunus, si jejun9 nõ adsit, perficere sacrificium.

4*to* Si inter celebrandum Sacerdos non recordetur se non esse jejunum, & ab altari sine scandalo recedere non possit, vel si jam facta sit con-

consecratio. Nam in utroquè casu debet Celebrans progredi in sacrificio S. Tho: Sua: &c.

Q. Quo jejunio debet esse jejunus Celebrans vel conmmunicans? *R.* Jejuniô non solum Ecclesiastico, verùm & naturali, ab omni cibo & potu quantumcunquè modico, etiam per modum medicinæ sumpto.

Q. Si jejunium est necessarium ante celebrationem, cur in Natali Domini ter celebramus? *R.* Quia Corpus & Sangvis Christi non frangunt jejunium.

Q. In die Nativitatis si Sacerdos inadvertenter in prima Missa sumat purificationem, potestnè alias duas celebrare? Negativè. Ecclesia enim quæ tres Missas in die Nativitatis permisit, statuit etiam, ne sumatur purificatio in prima, & secunda, ut Sacerdos jejunus omnes absolvat nequè hic adest periculum scandali.

Q. Quid significat trina celebratio in Nativitate Domini? *R.* Significat triplicem Xti Domini Nativitatem, æternam ex cælesti Patre. Temporalem ex Maria Virgine, & Spiritualem in cordibus nostris.

Q. Extatnè præceptum eò die tres celebrandi, & audiendi Missas? *R.* Ex antiquissima Ecclesiæ consvetudine in Nativitate Domini tres Missæ celebrantur, nullum tamen extat præceptum. Unde sufficit, si eo die una scil: tertia Missa, cujus oratio concordat cum officio diei, celebretur, & audiatur. Navar.

Q. Mane celebraturo estnè opus nocte præcedenti digesisse cibum, vel dormisse? *R.* Negativè modo somni inopia, cibiquè indigestio men-

tem

tem omnino non perturbet S. Tho. Hinc Sacerdos in Nativitate Domini comedens ante mediam noctem, post mediam noctem celebrare potest, & si non dormierit, cibumquè non digesserit.

Q. An & quoties Sacerdos tenetur dicere Missam? R. Tenetur quilibet Sacerdos etiam sub mortali ad aliquando sacrificandum, maximè in præcipuis anni Festis, imò juxta Trid: tenentur ex mandato Eppi sub gravi culpa celebrare saltem Dominicis, & Festis, nisi legitimo aliquo impedimento excusetur.

Q. An unus eodem die plures Missas celebrare potest? R. Non licet nisi valde gravis & urgens necessitas occurrat.

Q. Ostendat in quibus casibus potest bis celebrari? R. Ex multis, duos tantùm seligo, qui communiter admittuntur. 1. Est pro communicando infirmo, qui alioquin sine viatico mori deberet. 2. ne populus Missâ die festô privetur, quia alius Sacerdos haberi non potest. Hoc intelligendum est si Sacerdos in 1*ma* Missa non sumpserit ablutionem.

Q. Celebrans post dictum primum Evangelium, an potest iterum licite repetere Missam? R. Affirmat Sedes: ablatô scandalô, ob insignem personam, aut ob alios, qui tenentur audire Missã.

Q. Utrum Celebrans potest hostiam à se consecratam deponere in sacrarium, & sumere aliquã ex Hostiis antea consecratis? R. Non quia ad integritatem sacrificii spectat sumptio hostiæ, tunc consecratæ. *Lug.*

Q. Post sumptionem Sangvinis remanet particula Hostiæ consecratæ inhærens calici, quid agere debet sacrificans? R. Debet illam extra-

here

here non digitîs, sed aliâ, & aliâ ablutione, si opus fuerit, nihil obstante, quod prius degluti-antur ablutionis partes, quia tota illa sumptio censetur una moralis actio, pertinens ad candẽ Communionem decenter perficiendam.

Q. Quid agere debet Celebrans, si post con-secrationem sangvis effundatur? *R.* Si aliquid remansit in Calice, illud sumatur, nec opus erit novâ consecratione, quia talis sumptio sufficit ad perfectionem sacrificii, cùm quælibet stilla, sit totus Christus. Si verò nihil omnino remanse-rit, iteranda est consecratio, factâ prius novæ materiæ oblatione saltem mentaliter.

Q. Quid agendum est, si Sangvis cadat super terram, vel super tabulam? *R.* Terra, vel ta-bula, vel alia res, super quam cecidit Sangvis Xti, debet prius à Sacerdote lambi, si commo-dè fieri potest. 2. Abradi. 3. Debet lavari. 4. Abrasio comburi. 5. Cinis in sacrarium mitti. 6. Locus benè ablui debet. Si ceciderit super linteamina Altaris, singula, ad quæ pervenit ali-qua stilla, ter ablui debent, & aqua ablutionis in sacrarium projicienda.

Q. Quid agendum est si musca ceciderit in Sangvinem? *R.* Si hæc nauseam non fecerit, su-matur, sin autem, extrahi debet, & comburi, & cineres in sacrarium ponendi sunt. Idem mul-to magis faciendum est, quando periculum esset veneni. vg. si araneus decideret.

Q. Quid agendum esset si Hostia è manu de-cidat in Sangvinem Xti? *R.* Si tota Hostia ma-defiat, non debet extrahi, sed dici debent orati-ones de more, fieriquè omnes cæremoniæ super

cali-

calicem, & ſimul ſumendæ ſunt ſpecies dicendo: *Corpus & Sangvis Dñi noſtri &c.* Quodſi poſſet, deberet recepi pars hoſtiæ non madefactæ ad cæremonias omnes perficiendas.

Q. Quæ ſcienda ſunt circa benedictionem veſtium? *R.* Veſtes ſeu paramenta pro Miſſa debent eſſe benedicta, ab Epiſcopo, vel ab habente facultatem benedicendi, & quidem ſub mortali. Excepta parvitate materiæ *vg.* ſi quis cingulum non benedictum adhibeat. *Tamb.*

Q. Licetnè aliquando interrumpere Miſſam? R. Ante factam conſecrationem, licet, ſi juſta cauſa occurrat. Poſt conſecrationem non licet, niſi urgeat gravis neceſſitas, vel propria *vg.* morbus, vel proximi *vg.* ad abſolvendum moriturũ, vel baptiſandum infantem morti proximum, ſi alius non adeſt.

Q. An ex cauſa neceſſitatis licet celebrare Miſſam ſine inſerviente? *R.* Ob gravem neceſſitatem licet, quia adhibere miniſtrum eſt ſolum juris Eccleſiaſtici, cui juri videtur prævalere neceſſitas ſacrificandi. In qua neceſſitate potius ſine ullo Miniſtro celebrandum eſt, quam ut mulier inſerviat.

Q. Celebrans advertit adſtare Excommunicatum publicè denuntiatum, vitandum. quid ipſi agendum eſt? *R.* Curare debet, ut talis excommunicatus exeat, qui ſi monitus nolit exire, debet ab Altari recedere, ſi nondum conſecravit. (niſi timeat ſibi grave malum) ſi verò id accidat poſt conſecrationem, proſequi debet usquè ad ſumptionem utriusquè ſpeciei, & tunc ſtatim ab Altari recedere, & Miſſam in ſacriſtia continuare.

Excom-

Excommunicatus autem ille si monitus non exeat, ab Ecclesia novam incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Habetur *in Clem: de sent: Excom.*

De Fructu seu effectu Sacrificii Missæ.

Q. Quis est fructus seu effectus Sacrificii Missæ? *R.* Fructus Missæ, alius provenit ex opere *operantis*, respondens scil: orationibus, cæremoniis, Missæ à Sacerdote factis, commensuraturq; meritò, bonitati, & dispositioni Sacerdotis, ac Ecclesiæ offerentis.

Alius ex opere *operato* correspondens ipsi operi operato. Quare, etiamsi Sacerdos celebret in mortali, Missa eô fructu non caret.

Q. Fructus Missæ quomodo dividitur? *R.* In Generalem specialem & specialissimum. *Generalis* est qui toti Ecclesiæ debetur, quem Ecclesia omnibus fidelibus juxta eorum dispositionem applicat *Specialis* est qui applicatur Sacerdoti offerenti, *Specialissimus* est lle qui applicatur ei, pro quo offertur Missa.

Q. Quid sunt isti fructus specificati? *R.* sunt collatio gratiæ & remissio peccatorum venialium, unde vocatur sacrificium *Propitiatorium.* Remotio pænæ temporalis, unde nuncupatur *Satisfactorium* Impetratio omnium bonorum sive spiritualium, sive temporalium, vocaturquè *Impetratorium.*

Q. Estnè necessarium ad percipiendum fructum sacrificii ab altero, ut fiat ejus applicatio â Sacerdote? *R.* Omnino, quia fructus est de se indifferens, ut huic, vel alteri prosit, debet igitur determinari per applicationem.

Q. Quandonam debet applicari sacrificium Missæ? *R.* Ante consecrationem, quæ est pars

essen-

essentialis sacrificii, quæ applicatio fieri potest, etiam vesperi à cras mane sacrificaturo, & durat, si non fuerit retractata.

Q. An Diaconi qui ordinantur in Presbyteros possunt singuli applicare Missam, cui volunt? R. Affirmat *Merati* quia singuli secundum se sunt vera causa totius sacrificii, independenter ab alia, ac se habent, veluti si unus solus offerret.

Q. Pro quibus potest offerri sacrificium Missæ? R. pro fidelibus vivis, atquè defunctis, imo & pro infidelibus, peccatoribus, ut convertantur.

Q. An licitè nondum mortuus petere potest pro se exequias decantari, & sacrificium, cui intersit, quasi pro mortuo? R. Et si id aliqui sancti fecisse legantur, quia tamen devotio talis non est conformis ordinationi Ecclesiæ, ideo non esset admittenda.

De Loco Sacrificii.

Q. In quibus locis Missæ sacrificium celebrari potest? R. jure ordinario in locis ab Episcopo consecratis, aut saltem benedictis sub mortali.

Q. Qualiter altare adornatum esse debet? R. Cóòperiendum est tribus mappîs, seu Tobaleîs mundîs benedictîs, in medio Altaris collocanda est Crux, ejus loco potest esse etiam imago Crucifixi picta. In gravissima necessitate potest celebrari in una mappa, cum uno tantum lumine, sive ex cera sive sevo.

Q. Quid est Altare privilegiatum? R. Est illud in quo à summo Pontificè concessa est indulgentia plenaria pro Defunctis, quam quidem potest Papa animabus purgatorii concedere, eas liberando, non directè, & immediatè, per modũ absolu-

absolutionis, & judicii, ut facit pro vivis, cum non sint illi subjectæ, sed per modum suffragii, seu cujusdam auxilii, offerendo Deo de thesauro Ecclesiæ satisfactiones permodum pretii condigni pro earum liberatione.

Q. Indulgentia Altari privilegiato concessa vg. ad septennium quando incipit? *R.* Probabilius, quod non à die concessionis, sed à die electo pro celebratione Missæ, debet enim septennium esse utile ita Gab. & comm: DD.

Q. Qui obligatur in certo quodam Privilegiato Altari Missam celebrare, an satisfacit celebrando coram alio privilegiato? *R.* Negat Allo. Cum. CC.

Q. An in eodem Altari in quo celebravit Episcopus potest alius simplex Sacerdos eadem die celebrare? *R.* Azor. Lay: Tamb. &c. docent: Decretum id prohibens jam exolevisse, Imo si Episcopus celebrans deficeret posset alius simplex Sacerdos supplere.

Q. An Altare fixum destrui potest sine licentia Episcopi? *R.* Negative, etiamsi nulli esset usui.

Q. Quâ horâ licitum est celebrari? *R.* Horâ ordinaria celebrandi Missam censetur tempus quod est ab initio Auroræ, usquè ad meridiem, ita ut nec ante diluculum, nec post meridiem celebrare liceat. An vero sub gravi peccato affirmant aliqui. Verùm S. Tho. Spor: Sua: &c. non meminerunt hujus gravis peccati.

Q. Quid intelligitur per auroram? *R.* Primum diei crepusculum, seu articulus ille temporis, quo primum apparet in cælo vestigium adven-

ventantis diei. Juxta *Gob.* Aurora non accipienda Mathematicè, sed moraliter, ideoquè septemtrionalibus nullus faciendus eſt ſcrupulus peccati, licet in hyeme multo ante auroram ſacrificent.

Q. An licet ante tempus præfinitum anticipare Miſſam? *R.* licet ſequentibus caſibus. 1. in caſu neceſſitatis, ut morituro detur viaticum. 2. Ubi eſt conſvetudo rationabilis, ut Opifices, & Famuli ſummô mane poſſint audire Miſſam. 3. Occaſio itineris, ut commodiùs fiat. Lay. Quarti &c.

Q. Ex cauſa rationabili poteſtnè inchoari Miſſa poſt meridiem! R. Poteſt. 1. Si in Feſto, ſolennis durat Miſſa & concio duabus *vg.* horis poſt meridiem, poteſt Miſſa privata inchoari finitâ concione. Dela. Cruz. 2. Ratione itineris.

De Miſſis Votivis.

Q. Quid eſt Miſſa Votiva? R. Quæ ex voto ſeu arbitrio Sacerdotis legitur præter Directionem Rubricæ, & diſcrepanter ab Officio, licita autem eſt, ſi adſit rationabilis cauſa.

Q. Qualis cauſa rationabilis ſufficit ad Miſſam Votivam celebrandam? R. Ad legendam diebus permiſſis à Rubrica, ſufficit quicunquè finis honeſtus, *vg.* Devotio Celebrantis, Voluntas Teſtatorum, & Fundatorum, inſtantia petentis, obligantis ex quocunque Titulo, incommodum ex celebratione Miſſæ currentis &c.

Q. Quando generaliter prohibentur miſſæ Votivæ? *R.* Diebus Dominicîs, Feſtîs duplicibûs, niſi ſint ad libitum, tunc enim licent, quia privilegium orandi officium poteſt acceptari ſine privilegio legendi Miſſam. 2. infra Octavas Epiphaniæ, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti,

3. Die

3. Die Cinerum, & Hebdomada S. in Vigilia Nativitatis Christi ac in vigilia Pentecostes ac Epiphaniæ.

Q. An Missa Votiva Solemnis celebrari potest in duplicibus & Festis de præcepto? *R.* Potest ex rationabili causa quia rubricæ prohibentes hîs diebûs Missam Votivam non loquuntur de solemnibus, sed de privatis Votivis.

Q. An etiam in Festis primæ classis? *R.* Potest pro re aliquâ gravi *vg.* pro causa publica, pro Principe terræ, pro Antistite, pro Victoria publica, & similibus quæ bonum alicujus Communitatis concernunt.

De Ritu Missæ.

Q. Quid significatur per vocabulum Ritus? *R.* 1. Si sumatur generalius, denotat quamlibet consvetudinem moribûs utentium receptam, sub qua actiones hominum publicæ peragi consveverunt. 2. si sumatur magis specialiter, restringitur ad mores, & consvetudines in offerendis sacrificiis, & persolvendis Divinis adhiberi solitas.

Q. Quale peccatum est omittere Ritus? *R.* Ex genere suo est peccatum mortale omittendo Ritus majoris momenti. Venialiter verò omittendo minoris momenti. Com. DD.

Q. Qui sunt Ritus majoris momenti? *R.* Mixtio aquæ cum vino: Elevatio utriusquè speciei: Fractio Hostiæ: & mixtio particulæ cum Sangvine. Purificatio Patenæ, & Calicis.

Q. Qui sunt Ritus minoris momenti? *R.* Benedictiones, deosculationes, inclinationes, vocis inflexiones &c.

Q. An purificatio post Communionem potest fieri in sola aqua: R. Prima debet fieri in vino sub peccato veniali. 2*da* verò ordinariè debet fieri in vino & aqua potest autem fieri etiam in sola aqua.

Q. Quale peccatum est omissio aliqua in Canone Missæ seclusa consecratione? R. Omissio partis notabilis erit peccatum mortale.

Q. Ubi est initium & finis Canonis? R. juxta communiorem, initium est ab illis verbis *Te igitur &c.* Finis verò ad *Pater noster* exclusivè.

Q. Quæ est pars notabilis in Canone? R. cũ *Com:* quælibet oratio ac proinde cujuslibet orationis omissio erit peccatum mortale.

Q. Quale peccatum est addere Missæ novas preces, ex privata devotione? R. mortale, vel veniale, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ.

Q. An ergo qui plures collectas recitat, quã præscribantur peccavit? R. Neg: si adhibeat eas, quæ in Missali positæ sunt, maximè si adsit causa rationabilis, quia id non est contra prohibitionem Pii V. quamvis enim illæ orationes pro tali Missa non præscribantur, sunt tamen secundum Ritum Missalis.

Q. Quale peccatum est in Missa dimidiare verba, vel etiam totaliter comprimere? R. Si id fiat in notabili, aut in principali aliqua parte Missæ, non potest excusari à mortali.

De Stipendio.

Q. Quid Stipendii nomine intelligitur? R. Eleemosyna, quæ datur pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ. Unde Sacerdotes non recipiunt stipendium, ut pretium applicationis sacrificii,

quia

quia sic esset simonia, sed illud recipiunt titulô sustentationis.

Q. Quot modis Sacerdos obligari potest ad sacrificium Missæ pro aliquo offerrendum? R. Ex obedientia: charitate: voto: promissione simplici, aut ex justitia, & pacto.

Q. An Sacerdos retenta parte stipendii Missam alteri celebrandam potest committere? R. Id vetat Decretum S. Congre: A. 1625.

Q. An Beneficiatus qui potest per alium celebrare, tenetur huic dare stipendium ad rationem beneficii. R. Satis est si det stipendium congruum adum morem regionis, si aliud in fundatione cautum non fuerit. De Lug. Tamb. &c.

Q. An Sacerdos qui hodie à nemine stipendiũ accepit Missam quam celebrat applicare potest illi qui primus illi stipendium obtulerit? R. Neg: contrar. est damnata.

Q. An Sacerdos potest plura stipendia pro uno eodemquè Sacro accipere? R. Negativè ob decretum Urb. VIII. editum. Duo aut plura stipendia accipere pro Missa cantata, non est, duo sed unum accipere justum pro tali Missa, ratione majoris laboris, & temporis.

Q. An diu differri obligationes Missarum possunt? R. Ordinariè peccant mortaliter colligentes Missarum copiam, quas nisi post longum tempus absolvere possunt, Longum illud tempus communiter censetur duo Menses. Si periculum est in mora vg. pro infirmo, vel agonizante nullo modo differenda est obligatio.

De Reductione Missarum.

Q. Quæ sunt scienda circa hanc materiam? R. Certum est inter DD. quod, quando sive fundus,

dus, five Capitale, five aliud quodcunquè pro celebratione Miſſarum legatum datum, ſine culpa Sacerdotis, vel alicujus Communitatis, ſeu Monaſterii abſolutè deperit, obligati non tenentur ad eas celebrandas, quia beneficium datur propter officium, ceſſante &c. *Fraxi per de Lor. &c.*

Additur *ſine culpa* nam ea ſubſiſtente remanet obligatio ad celebrandas tales Miſſas, quia gravis injuſtitia foret inſtitutori.

Si verò prædicti fructus, uſu temporis etiam ſine culpa obligatorum valdè ſint diminuti, nec eſt ſpes reſtaurationis in totum, nec modus; non propterea licitum eſt obligatis propria Authoritate numerum Sacrorum diminuere, ſed recurrendum ad quem de jure.

Q. Penesquem Authoritas hæc eſt, & poteſtas minuendi numerum Sacrorum? *R.* vel ſunt Miſſæ impoſitæ poſt Concil Trid. aut in limine fundationis Eccleſiæ, ſive poſt, ſive ante Trid: tunc pro reductione illarum ad minorem numerum recurrere oportet ad Sac: Congr: propter Decretum ipſius. Vel ſunt impoſitæ ante Trid. & non in limine fundationis Eccleſiæ. ſed aliô modô ſunt impoſitæ? tunc reducere poſſunt Epiſcopi in Diæcæſana Synodo. Jmo etiam extra illam id facere poſſe Epiſcopum docet Nav: Rodr: & alij?

De Extrema Unctione.

Q. Quid eſt extrema Unctio? *R.* Eſt Sacramentum, in quo Presbyter ungit Oleo infirmorum conſecrato, certas corporis partes hominis infirmi, probabiliter periclitantis, certa verba cum intentione proferendo.

Q. Cur dicitur *Extrema*? *R.* quia datur poſt alias unctiones, quæ fiunt in Bapt: Confir: &

& Ordine, vel quia datur in extremis.

Q. Quis instituit hoc Sacramentum? R. Xtūs Dominus, quod per Jacobum Apostolum promulgatum est.

Q. Quæ est materia & quæ forma Extr. Unct: R. Materia *remota* Oleum olivarum; ab Episcopo in die Cænæ Dñi solenniter consecratum. *Proxima* est ipsa unctio. Forma *per istam S. Unctionem &c.*

Q. Quis est Minister hujus Sacramenti? R. Solus Presbyter (. qui saltem, per contritionem debet esse in statu gratiæ) nec quidem ex dispositione Papæ, quod probat saltem praxis Ecclesiæ, quæ nunquam dispensat, ut ab alio ministretur. Com: DD.

Q. An Religiosi possunt licitè hoc Sacramentum administrare? R. Nisi cum licentia Parochi, vel intra septa Claustralia manentibus; secus facientes incurrunt Excommunicationem Papalem.

Q. An in Casu necessitatis Parochus suspensus, vel nominatim excommunitatus hoc Sacramentum potest administrare? R. Affir; si desit alius Sacerdos etiam simplex *Fill: Sylv. & alij 4.*

Q. Quæ sunt de essentia hujus Sacramenti? R. 1. Ut organa 5. sensuum nominentur. 2. Verba illa: *Per istam S. Unctionem. Palaus* dicit valere & si omitteretur Ly *sanctam.* 3. Verba deprecativa *indulgeat tibi &c.*

Q. Quibus dari debet hoc Sacramentum? R. Adultis, morti propinquis. ex morbo, vulnere, partu, vel senectute. Reo qui sumpto veneno expectat mortem, quia venenum reddit periculosè infirmum *Aver: Steph: &c.* Dari potest reo rotæ affixo si petat, non verò suspendendo vel decapitando.

q. Quo-

Q. Quomodo Sacerdos inungi debet? *R.* Sicut & alii infirmi, excepto, quod non palma, ungi debeat, cùm jam sit uncta in susceptione Sacerdotii, sed pars manus superior ungenda est.

Q. Quæ dispositio requiritur ad hoc Sacramentum cum fructu recipiendum? *R.* Ex parte *animæ*: ut sit baptisatus, non excommunicatus, ut expressè vel tacite infirmus petat, & intendat illud suscipere, & peccati obicem per pænitentiam abstulerit. Ex parte *Corporis* requiritur: ut sit in probabili mortis periculo constitutus. Ordinariè in eadem infirmitate reiterari non debet. Si autem infirmitas longa sit, & mutet statum propter novum periculum potest adhiberi novum remedium.

Q. Quis effectus hujus Sacramenti? *R. primarius*: est augmentum gratiæ sublativæ veniali-um, ejusquè corroborativæ animæ contra tentationes Dæmonum, in ultima lucta, & sic est salus spiritualis. *Secundarius*: est salus Corporis, seu morbi alleviatio.

Q. Si ægrotus amisit usum rationis, constetquè in statu peccati mortalis illud petiisse, an est ei administrandum hoc Sacramentum? *R.* negat, *Suar:*

Q. In dubio an vivat ægrotus quomodo administrari debet? *R.* sub conditione: *Si vivis, per istam S. Unctionem &c.* Sa. Lay:

Q. An peccat Sacerdos qui differt hoc Sacramentum administrare ûsquè dum infirmus amittit sensus? R. Cathec. Rom: affirmat peccare gravissimè. Non agnoscunt tamen tam gravem esse culpam. *Tamb: Sua:*

Q. An Confessio, & Communio præmitti de-

beat Extremæ Unctioni? *R.* Per se loquendo Confessio non necessario præmittitur, cum ungendus disponi possit per contritionem, per accidens tamen prærequiri potest. *vg.* si post Viaticum peccâsset mortaliter, & timeretur post Unctionem non futurum tempus Confessioni.

Q. Hoc Sacramentum poteftnè omitti absquè peccato? *R.* Si omittatur ex ignorantia, vel negligentia est veniale. *S. Tho:* Si verò ex contemptu, est mortale.

Q. An peccat qui omittit recitationem Litaniarum Psalmorum Pænitentialium? *R.* non, quia prædictæ preces sunt tantùm consilii. Omittentem autem reliquas preces, vel antecedentes, vel sequentes damnat noxæ lethalis *Tamb: Gob:* Nisi excuset materiæ parvitas, aut necessitas postea tamen supplendæ, si supervivat infirmus.

Q. An si æger sensu aliquo careat, debet pars proxima inungi? *R.* Etsi id non esse absolute necessarium doceat *Dicast:* verumtamen reliqui fere omnes DD. apud *Dian.* id fieri debere contendunt.

Q. An seclusô periculô animæ proximi teneatur Parochus ministrare Extremam Unctionem cum periculo propriæ vitæ *vg.* tempore pestis? *R.* affirmat quidem *Syl: Nug:* sed plures alii negant *Maj. Arm:* & alii 4tuor. Et hæc sententia utpotè communior potest sequi, excepto casu, quo infirmus absquè ullo alio Sacramento moreretur. Potest etiam virgæ argenteæ seu alterius usus inservire ad ungendum infirmum è loco remotiori. *Sua: Lay:* &c.

Q. An Parochus si secum Oleum S. domum deferat, credens se noctu ad ægrum vocandum, pec-

peccet mortaliter? *R.* negativè ita *Dian:* & imo retineri potest Oleum infirmorum domi à Parocho per unam diem, vel noctem in loco decenti sine omni peccato, quod intelligendum est, si alias foret periculum, nè fortè serò veniret.

Q. An si videat Parochus Oleum benedictum deficere potest non benedictum eidem miscere? *R.* Affirmat *Gob.* *cum Com:*

Q. An si Parochus Oleum benedictum non habeat possit Oleum non benedictum adhibere? *R.* Etsi id aliqui docuerint, quia tamen contraria sententia adeo est communis ut *Sua:* affirmativam vocare non horreat temerariam, ideo tutè svaderi Parocho id non potest.

Q. An Sacerdos infirmus potest administrare sibi ipsi Extr: Unct: *R.* non, quia Minister hujus Sacramenti debet esse persona distincta, sicut ad Baptismum.

CAPUT XII.

De Sacramento Matrimonii.

De Sponsalibus

Q. Quid sunt sponsalia? *R.* promissio voluntaria, & deliberata & acceptata signo sensibili, expressa futuri Matrimonii inter personas naturâ est jure habiles.

Q. Quæ conditiones ad validitatem sponsalium requiruntur? *R.* 1. Ut adsit promissio, hinc non sufficit propositum, cum propositum nullam inducat obligationem.

2da. Ut promissio sit *voluntaria & deliberata* scil: deliberatione sufficienti ad peccatum mortale, cùm sponsalia ex natura sua, utpotè contractus de magno momento sub mortali obligent. 3tia

3tia. Ut promiſſio ſit *mutua & acceptata* Mutua quia ſicut Matrimonium nequit eſſe, niſi adſit conſenſus mutuus perſonarum habilium, ita nequit eſſe diſpoſitio ad matrimonium per promiſſionem obligatoriam. niſi mutua ſit futuri Matrimonij.

4ta. Ut promiſſio ſit aliquô *ſignô externô* expreſſa, ſive illud ſit nutus, ſive factum, ſive verba quæcunquè.

Q. Quare ſponſalia præmittuntur Matrimoniô? *R.* quia ardua res eſt Matrimonium, utpotè in quo vir, & mulier ita colligantur, ut nulla de cauſa, nec per ullam diſpenſationem eorundem vinculum poſt conſummationem ſolvi, & priore vivente uxor alia nulla ſuperinduci poſſit; rectè ſponſalia illi, ut diſpoſitio præmittuntur, tum ut maturâ deliberatione contrahatur, tum ut impedimenta, ſi quæ ſubſint in apertum proferantur.

Q. An ſponſalia omnino debent præcedere Matrimonium? *R* neg: & licet communiter præcedant, non ſunt tamen de neceſſitate matrimonij.

Q. Quis eſt effectus ſponſaliorum? *R.* 1. Obligatio ſub mortali contrahendi Matrimonium *S. Tho:* niſi adſit legitimum impedimentum. 2. Jnhabilitas contrahendi cum conſangvineis ſponſi, vel ſponsæ in primò tantum gradu lineæ tam rectæ, quam tranſverſalis, quod dicitur impedimentum publicæ honeſtatis.

Q. An qui à ſponſalibus ſine cauſa recedit poteſt compelli à Judice Eccl: ad ſtandum promiſſo? *R.* Poteſt, poſt canonicam monitionem. Cenſuris cogi, dummodo hâc ratione ſpontaneus nuptiarum conſenſus ſperetur, ſin minus ſatiùs eſt minus malum violatæ promiſſionis permittere, ut

ma-

majus malum coacti Matrimonii vitetur. Tenetur tamen resiliens in utroque foro ad reparationem damni, quod ex fidei violatione alteri est illatum.

Q. Ob quas causas possunt dissolvi Sponsalia? R. 1. Cum unus illorum ingreditur religionem, alter manet liber, non tenetur expectare professionem. An verò non admissus ad professionem, & rediens ad sæculum, liber sit ab obligatione sponsalium, alii negant, alii probabiliùs affirmant. *Villa:* Cognoscens autem sponsus sponsam sub spe Matrimonii, non potest ingredi Religionem.

2dô. Sponsalia & si jurata solvuntur per votum simplex castitatis factum, tam ante, quam post ipsa sponsalia, quia in sponsalibus subintelligitur ista tacita conditio: nisi perfectior vitæ status eligatur. Idem dic de voto Ordinis, ut Com: DD.

3tio. Dissolvuntur per susceptionem Sacri Ordinis, quia per susceptionem Ordinis censetur eligi perfectior status.

4to. Defectu ætatis, si quis non habeat septennium ferè completum.

5to. Si in contractu sponsaliorum tempus determinetur, eôquè completô unus illorum non velit contrahere, alter manet liber.

6to. Sponsalia etsi jurata sint, per discessum alterius sponsi in terras longinquas, absquè licentia alterius dissolvi possunt.

7mo. Sponsalia irritantur per subsequens Matrimonium validè, licet injustè celebratum cum alia persona, de præsenti.

8vo. Dissolvuntur etiam per interveniens impedimentum dirimens Matrimonium vg. affinitatem &c.

9no.

9*no*. Per alterius sponsi fornicationem, quamvis fæmina sit vi oppressa.

10*mo*. Solvuntur, si notabilis mutatio accedat, seu aliquod superveniat, quodsi à principio exstitisset, meritò à sponsaliorum contractu abstinuisset *vg.* si unus eorum haberet lepram, vel morbum gallicum &c.

11. Dissolvi possunt mutuô consensu, & mutuâ remissione ipsorum sponsorum, etiamsi fuerint jurata.

12. Si non adimplentur conditiones, sub quibus celebratæ fuerunt.

Q. An ad solvenda sponsalia Judicis Authoritate opus est? R. Si causa solvendi Matrimonii moraliter certa est, nulla Judicis Eccl: authoritate opus est, nisi ratione vitandi scandali.

Q. Quæ non licent sponsis. R. Tactus impudici, cum proximè disponant ad copulam, vel pollutionem, etsi liceant amplexus, oscula in signum amoris. *San:*

Q. Quot modis fieri possunt sponsalia? R. A nudâ promissionè *vg.* accipiam te in meam & viceversa. 2. Datîs Arrhîs sponsalitiis *vg.* pecunia 3. Annuli subarrhatione. 4. Interveniente juramentô. Non tamen valent licet sint jurata si 1ma. non sunt legitime dissoluta.

De Bannis seu Denuntiationibus.

Q. Quid sunt Bannæ seu proclamationes? R. Sunt trinæ denuntiationes, quibûs publicatur Matrimonium inter certas personas esse ineundum.

Q. Quo in loco fieri debent? R. Ordinariè in Ecclesia, posse autem etiam extra illam fieri *vg.* in cæmeterio affirmat *Bon: Laym:* quia cùm etiam

am in tali casu concursus populi haberi possit, rectè id sufficiens videtur ad denuntiationem impedimenti, si quod lateret faciendam.

Q. Quandonam debent fieri? R. tribûs diebûs continuîs festivîs, per quos intelliguntur dies, quibus convenire solet in Eccl: multitudo populi. Continui autem dies sunt. inter quos nô interponuntur multi dies festivi.

Q. An possunt fieri tribus festivis diebus continuis id est immediate succedentibus? R. *Affir: Kug: Tamb: Dicast:* nisi speciale sed alicujus loci præceptum, & nisi suspicio sit de aliquo impedimento.

Q. An etiam possunt die feriali? R. Affirm: *Laym:* si aliqua foret necessitas, & aliquis concursus populi adesset.

Q. An Parochus omittens denuntiationem incurrit suspensionem? R. hanc pænam non îpsô factô inncurreret. sed per sententiam Judicis, peccaret tamen mortaliter, quia Matrimonium secundum quid, esset clandestinum *Engel,* esset tamen validum.

Q. Si contracturi sunt diversæ Parochiæ, an in utraque debent fieri Bannæ? R. Affir: nisi consvetudo aliqua obtineat, ut in ejus solùm Parochia fiant ubi nuptiæ sunt cælebrandæ.

Q. Quis potest dispensare in Bannis, ne absolutè fiant, vel una tantum? R. Episcopus, vel ejus delegatione alius Superior *vg* Vicarius Generalis, vel Judex Surrogatus.

Q. An peccant. qui sine nulla causa procurrant dispensationem, vel qui sine causa dispensat R. Affirmant communiter. DD.

Q, An

Q. An Parochus propriâ Authoritate potest dispensare in Bannis? R. 1. Communiter DD apud Barbosam negant, nisi ex dispensatione Episc: Etiamsi timeretur maliciosè Matrimonium impediendum. 2. Si urgeat necessitas instantis mortis pro accipienda in Conjugem concubina ad satisfaciendum famæ aut filios legitimos relinquendū vel oporteat ad nubendum Viro æquali qui aliter discedet & voluntatem mutabit posse Parochum omittere Bannas propriâ Authoritate si non esset facilis accessus ad officium docent Comm: DD. apud Barb,

De Matrimonio quò ad Substantiam.

Q. Quid est Matrimonium? *R.* Est Sacramentum inter baptizatos, quô vir, & mulier sibi mutuò, legitimè sua Corpora tradunt ad perpetuā vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ *Cath: Rom:*

Q. Quotuplex est Matrimonium? *R. Legitimum* quod conformiter ad leges naturæ perficitur solô consensu contrahentium, quale est apud Infideles, fuitquè in lege naturæ, & Judaica. *Ratum* quando est sacramentum, seu quando intercessit contractus coram Parocho, & Testibus, sed adhuc carnalis copula non intercessit, *Consummatum* quando jam est carnali copulâ perfectum.

Q. Quotuplex adhuc est Matrimonium? R. 2plex *Solenne* quod fit cum assistentia Parochi, & duorum saltem testium. Et *Clandestinum* quod fit sine dictis solennitatibus, & ibi solùm valet ubi Trid: non est promulgatum.

Q. Quotuplices sunt solennitates Matrimonii

sole

solemnis? R. 2plices. Aliæ *Substantiales* sine quibus invalidum redditur Matrimonium. Talis èju re Trid: est præsentia Parochi, & duorum testium. Aliæ *Accidentales* sine quibus validum, sed illicitum est Matrimonium, Tales sunt denuntiationes: benedictio &c:

Q. Quæ est materia & forma Sacramenti Matrimonii? R. Materia *remota* sunt Corpora legitimè contrahentium. *Proxima* Traditio ipsorum Corporum *Forma* acceptatio traditionis per verba, vel per aliud signum exterùs expressa.

Q. Quis est Minister? R, ipsi contrahentes faciunt unum Ministrum totalem, Parochus enim est tantum assistens *Trid:*

Q. An Sacerdos delegatus à Parocho ad Matrimonio assistendum potest subdelegare alteri? R. neg: *Manig* &c:

Q. Qui sunt effectus Matrimonii? R. Augmẽtum gratiæ sanctificantis, & alia dona gratiæ ad perficiendum amorem conjugalem, & indissolubilem unitatem inter conjuges, ad frenandam indecentem concupiscentiam & ad rectam prolis educationem.

Q. Quo in loco celebrari debet contractus Matrimonii? R. Ordinariè in loco S. ex causa tamen posset etiam in loco non S. vg. si malitiosè impediendum esset Matrimonium. Vel cùm sine periculo non est accessus ad Ecclesiam *March:* In Templo autem debet fieri benedictio.

Q.? An licitè contrahitur Matrimonium inter Catholicum & Hæreticum? R. In. partibus illis, Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis non videri illicita quando hæ conditiones occurrunt. 1. Ut absit periculum aversionis, & persona Catho-

lica

lica permittatur liberè vivere in sua Religione. 2. Ut non impediatur ritu Catholico prolem educare. 3. Ut non sit facile Catholicô in sua Religione invenire conjugem sibi parem, & idoneam vel è contra. 4. Ut hæreticus non sit denunciatus, nec notorius Clerici percusor. 5. Ut eô locô passim sit consvetudo sic contrahendi, absque scandalo *Sanc: Less:* Meliùs tamen erit, si res hæc deferatur ad Officium.

Q. An validum, & licitum est Matrimonium cum pacto continentiæ? *R.* Affir: quia non pugnat cum essentia hujus Sacramenti perpetua continentia. Et procreatio prolis remedium concupiscentiæ non est primarius finis Matrimonii, sed etiam mutua vitæ societas.

Q. Quando danda est benedictio? *R.* tantùm in primis nuptiis debet dari benedictio Sponsæ, nam si est vidua omitti debet benedictio, licet spõsus non sit viduus. Item debet dari intra Missam ante contractum, uti videndum est in Missa *de Sponso & de Sponsa* Vel immediate post contractum Matrimonium *ut in Rituali.*

Q. In quibus casibus conjugi debitum conjugale reddere, sed non petere licet? *R.* 1. Qui Matrimoniô contractô sciens, & voluntariè consangvineam uxoris in 1. vel in 2. gradu cognovit.

2. Conjunx qui bona fide contraxit Matrimonium, & postea verè dubitat de valore Matrimonii.

3. Qui Matrimonium contraxit post emissum votum simplex perpetuæ castitatis.

4. Si quis nesciente aut non consentiente conjuge continentiam vovit.

5. Qui

5. Qui ſcienter contraxit affinitatem, vel cognationem ſpiritualem cum propria uxore, poſt celebratum Matrimonium

Q. In quibus caſibus tam petere, quàm reddere debitum conjugale eſt illicitum? *R.* 1. Si uterque conjugum communi conſenſu continentiam voverit, & in eo etiam jure petendi renuntiaverit.

2. Si unus conjugum abſolutè perpetuam continentiam voverit, poſt Matrimonii conſummationem cum alterius conjugis jure ſuo renuntiare volentis conſenſu omnimodè obligatur votô, ut nequè petere nequè reddere licitè poſſit.

3. Si conjux uterquè ſciat Matrimonium eſſe nullum.

De Parocho Contrahentium Matrimonium.

Q. Quisnam cenſetur proprius contrahentium Parochus? R. Parochus proprius, nonmodò eſt Parochus Urbis, aut Pagi, in quo contrahentes habent domicilium, ſed etiam proprius cenſetur. 1. Papa in toto Orbe. 2. Epiſcopus, & Vicarius Generalis, in ſua Diæceſi. 3. Capitulum ſede vacante. Prælati recenſiti poſſunt locô ſui delegare jus aſſiſtendi alicui Saeerdoti, quàmvis loci Parochus eſſet invitus & inſcius.

Q. Quotuplex eſt proprius Parochus? R. duplex originis, & domicilii. Si quis in uno loco natus ſit, in alio autem domicilium contraxit, non Parochus originis, ſed domicilii aſſiſtere debet, quia Parochianum conſtituit non tam origo, quàm domicilium *Speng.*

Q. Quantũ tẽporis requiritur ut in aliena Parochia Parochian9 quis efficiatur? *R.* Cum *San: Vieſt:*

Habi-

Habitatio quæcunquè etiam breviſſima, &ſi per horam ſolum habitaverit, ſufficit in eo qvi domicili figendi, ad locum vg Parochiæ *A*.advenit.

Q. Quisnam eſt Parochus reſpectu vagorum? R. Vagorum Matrimoniis quilibet Parochus, ad quem veniunt, validè & licitè conſultô tamen prius Officio aſſiſtere poteſt.

Q. An vagis quilibet Parochus, non modo in ſua, ſed etiam in aliena Parochia aſſiſtere, aut alteri licentiam aſſiſtendi dare poteſt? *R*. 1mo Vagabundus dicitur: qui nullibi domicilium habens, verſatur in loco ſine animo permanendi. Peregrinus autem, qui alibi domicilium habens, in loco moratur animo non permanendi,

R. 2. Affirmant quidem aliqui DD: ſed negativa tutior & probabilior eſt docens aſſiſtere debere eum Parochum, in cujus tunc Parochia vagi hoſpitantur.

Q. An ſufficit aſſiſtentia Parochi, per vim, & dolum habita. R. Affir: dummodo; advertat, quod ſit. CC. DD.

Q. An Parochus ſuis Parochianis, etiam extra ſuam Parochiam aſſiſtere poteſt? R. Affir: quia extra Parochiam non deſinunt eſſe ſubditi illius.

Q. An Parochus Excommunicatus Suſpenſus aut irregularis validè aſſiſteret Matrimonio? *R*. Affir: Boſi: cum alliis 8: modo non ſit actualiter depoſitus, & Parochiâ privatus.

Q. Quam pænam incurrit Parochus aſſiſtens Matrimonio alienorum Parochianorum? *R*. Ipſo jure tamdiu ſuſpenſus manet, quam diu Epiſcopo videbitur. *Trid:*

Q. Quid faciendum cum illis perſonis quæ diu

diu

diu in concubinatu vixerunt, omnibûs existimantibûs illas esse Matrimonio junctas, si velint resipiscere ita secreto, ut ipsum Parochum lateat? *R.* Potest in tali casu à Parocho impetrari facultas, ut ipse Confessarius agat vices Parochi, quo casu possunt assumi duo Testes ignoti, qui jurent se rem secretissimam habituros *Steph: à S. Paulo.*

De Impedimentis.

Q. Quid est Impedimentum? R. Est quædam indispositio contrahentium reddens Matrimonium vel illicitum, vel invalidum.

Q. Quotuplicia sunt Impedimenta? *R.* 2plicia impedientia, & dirimentia.

Q. Quæ est differentia inter illa Impedimenta? R. hæc: quod Matrimonium contractum cum impedimento dirimente sit illicitum, & invalidum. Contractum verò cum impedimento impediente, licet sit validum, est tamen illicitum.

Q. Quæ sunt Impedimenta impedientia Matrimonium? R. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, in quibus illicitè est omninò contrahere Matrimonium, sunt sequentia, quæ sola sunt hodie in usu:

Votum simplex castitatis,
Votum Religionis,
Sponsalia & vetitum Ecclesiæ.

Impedimentum vero Catechismus per Tridt: Impedimentum *Criminis* per contrariam consvetudinem sublatum est.

Q. Quid intelligitur per votum simplex Castitatis? *R.* Illud quod qui fecit votum castitatis, vel votum non cognoscendi fæminam, recipiendi Sacros Ordines, vel votum cælibatûs, non potest

test licitè contrahere Matrimonium. Votum verò non fornicandi, aut non peccandi contra castitatem, non est impedimentum.

Q. Petrus vovit privatè castitatem perpetuam sed post agitatur stimulis carnis, vult nubere, quid ei faciendum est, ut licitè possit contrahere? *R.* debet vel ipse, vel Confessarius ejus procurare dispensationem, vel commutationem voti in S: Pænitentiaria, ad effectum contrahendi Matrimonium obtentâ dispensatione debet Petrus confiteri, Confessarius autem post solitam datam Absolutionem à Censuris, & peccatis, dicet formam inferius positam. fol:

Q. Paulus obstrictus votô simplici Castitatis, scienter contraxit Matrimonium an validè? *R.* validè sed illicitè, & toties peccabit, quoties debitũ petet, reddere tamẽ potest, quin tenetur, si petatur à conjuge. Idem dicendum, si fæmina fecisset simile votum.

Q. Quis potest cum illo dispensare, ut debitum petere valeat? R. Episcopus, etiam Religiosos Mendicantes dispensare posse affirmant: *Rodr: San:*

Q. Vi hujus dispensationis, quam haberet Paulus ab Episcopo, vel Religioso, possetne mortuâ illâ uxore aliam ducere? *R.* Neg: quia hæc dispensatio conceditur solùm ad hoc, ut possit debitum petere ab uxore, quam nunc habet, sed mortua istâ, reviviscit votum, adeòquè ad licitè contrahendum aliud Matrimonium, requiritur dispensatio Papalis *Com: DD:* apud Basse:

Q. An super voto castitatis perpetuæ, & Religio-

ligionis etiam Epiſcopus valet diſpenſare? R. non quidem jure ordinario ſed per accidens poteſt, quando ſequentia occurrunt. 1. Magnum incontinentiæ periculum. 2. Grave ſcandalum. 3. Difficilis recurſus ad Papam, vel Nuntiaturam ob diſtantiam loci, vel paupertatem & voto adſtricti 4. Si vota non fuerūt abſoluta, perfecta, ſed ſolùm conditionata.

De voto Religionis.

Q. Quod eſt ſecundum Impedimentum impediens. *R.* Votum ſimplex Religionis approbatæ intrandæ. *Qui* ergo emiſit votum intrandi Religionem, non poteſt licitè Matrimonium contrahere, abſque prævia diſpenſatione, irritatione, vel comutationevoti à facultatem habente, obtentâ.

Q. Petrus habens votum Religionis contráxit Matrimonium ſine diſpenſatione, an peccavit? R. peccavit mortaliter, ſed conſumatô Matrimoniô poterit licitè, & petere, & reddere debitum abſq; ulla diſpensatione quia votum intrandi Religionem non eſt formale votum caſtitatis. *Palaus cùm Com:* Idem. dicendum de eo qui vovit cælibatum, ſive non ducere uxorem.

Q. Quid intelligitur per hoc Impedimentum *Sponſalia?* R. quod Sponſalibûs cum una legitimè contractîs, niſi juſta de cauſa ſolvantur, licitè cum alia Matrimonium contrahi non poteſt. Ad ineundum tamen alia ſponſalia, & contrahendum cum alia perſona, nulla indiget diſpenſatione.

Q. Quid intelligitur per hoc Impedimentum *Eccleſiæ vetitum?* R. 1. Prohibitio, quæ fit ab Epiſco-

ſcopo, vel Parocho ob dubium impedimenti alicuius, vel inhabilitatis inter copulandos.

2. Quod vetitîs ab Eccleſia diebûs, non liceat ſolemniter celebrare Nuptias ſcil: Tempore adventûs, usquè ad diem Epiphaniæ incluſivè. & à Feria 4ta Cinerum, ad Dominicam 2dam poſt Paſcha incluſivè.

De Impedimentis Dirimentibus.

Q. Quotuplicia ſunt Impedimenta dirimentia? R. 2plicia Alia ſunt Juris Divini, ſeu naturalis: ùt *ligamen: Conſangvinitas in 1. gradu lineæ recta ætas carens uſu rationis: Impotentia* perpetua: *Error* circa ſubſtantiam perſonæ. Et in his Papa diſpenſare non poteſt. In conſangvinitate 1mi gradus ac ligamine in veteri lege cum aliquîbus ſpeciali diſpenſatione à DEO diſpenſatum eſt.

Alia ſunt introducta jure Eccleſiaſtico: ut ætas uſu quidem rationis prædita, ſed in Fæmina 12., in viro 14. Annîs minor: Conditio Servilis: Cultûs diſparitas &c: in his Papa diſpenſare poteſt.

Si Impedimentum aliquod dirimens ſupervenerit poſt validè contractum Matrimonium, non jam illud dirimeret, ſed ſolum tolleret jus petendi debitum; vel & petendi, & reddendi prout caſus tulerit, ut ſi vg. uterquè conjunx conſcius eſſet impedimenti.

Q. Quæ ſunt Impedimenta dirimentia? R. illa ſequentibus verſibus expreſſa Nro. 15.

Error conditio, votum cognatio, crimen.
Cultûs diſparitas, vis ordo, ligamen, honeſtas
Ætas, affinis, ſi clandeſtinus, & impos.

Ra-

Raptaquè ſit Mulier, nec parti reddita tutè,
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractãt.

Error Conditio.

Q. Qualis Error contingere poteſt in Matrimonio? R. 1. vel ratione perſonæ, cum una perſona pro alia ſupponitur. 2. vel ratione conditionis, ut ſi liber putetur, cum ſit Servus. 3. Ratione qualitatis, cum credit ſe contrahere cum pulchra, virgine, nobili, & non eſt talis.

Quilibet ex his erroribus vel eſt *Antecedens* actum, ſcil: cauſam actui faciendo præbens, ita, ut eo non exiſtente, actus ſeu contractus nequaquam fieret. Vel eſt *concomitans* actum, qui nimirum non inducit ad volendum, ſed ita concomitatur, actum ut eo non exiſtente, actus fieret.

Q. Quis ex dictis erroribus invalidum reddit Matrimonium? R. 1. Error antecedens circa ſubſtantiam perſonæ, non tantum jure humano, ſed etiam naturali, invalidat Matrimonium.

2. Error *concomitans*, ut quando quis contrahit cum Maria, exiſtimans eſſe Annam, ſed ita eſt diſpoſitus habitualiter in voluntate, ut cognitam Mariam, æq; libenter aut libentiùs duceret, invalidum reddit Matrimonium, quia ut Matrimonium ſit validum, neceſſerius eſt consensus, & voluntas poſitiva.

3tio. Error *circa conditionem:* ut ſi ſervus ſit, hoc eſt mancipium perpetuum, & non liber, etiam reddit Matrimonium nullum.

4to. Error, vel dolus *inqualitatibus conjugum*, aut in bonis temporalibus, non dirimit Matrimonium, tamen ſi qualitas, in qua erratur, apponeretur per modum conditionis in ipſo contra-

tractu Matrimoniali, sive verbis exprimatur, sive mente contrahentis retenta sit, Matrimonium invalidum esset. Com: DD.

Votum.

Q. Quale votum dirimit Matrimonium? R. non simplex ut dixi superius dempto unico si uxor in sæculo continentiam vovens, marito licentiam daret aut ordines suscipiendi, aut S. Religionem profitendi, eo mortuo si contraheret cum alio Matrimonium esset nullum Cap: quia 10.) sed votum solemne tam Religionis, quam Ordinis S.

Idem facit Votum simplex quod emittitur in Soc: JESU, post biennium.

Cognatio.

Q. Quid est cognatio? *R.* est vinculum, quod vel naturaliter, vel jure Sangvinis: vel Juris dispositione inter aliquos contingit. Estquè 3plex Spiritualis, Legalis & Carnalis.

Q. Quid est cognatio Spiritualis? *R.* Est propinquitas inter aliquas Personas, ex generatione Spirituali procedens, scil: Baptismi vel Confirmationis. Inter quas autem personas contrahitur dicta cognatio Vide de Bapt:

Q. Cur ex his solum 2bus Sacramentis nascitur cognatio? *R.* quia per hæc Sacramenta, & non alia renascitur, & regeneratur homo ad vitam æternam, seu unus ab alio recipit esse quoddam spirituale.

De Cognatione Legali.

Q. Quid est cognatio Legalis? *R.* Est propinqui-

pinquitas Personarum ex perfecta adoptione proveniens. *Adoptio* est Personæ extraneæ in Filium verum, aut in Filiam legitima assumptio, Quæ fieri debet Authoritate publicâ seu Magistratûs.

Q. Quid est adoptio perfecta? *R.* Ea est in qua Principis rescripto persona extranea sui juris existens, in alterius veluti Patriam potestatem, familiamquè transfertur, ut instar legitimorum Filiorum esse incipiat.

Q. Quot sunt species cognationis legalis quæ Matrimonium dirimit? *R.* Tres. 1. in linea recta inter ipsum adoptantem & adoptatum hujusquè solos Filios Carnales, descendentes usquè ad 4. gradum, qui tamen non reperiuntur emancipati, sed sub potestate ipsius adoptati, quando fit adoptio.

2. In linea collaterali, inter ipsum adoptatum, & solos Filios carnales adoptantis, & non ultra.

3. Inter adoptatum, & uxorem adoptantis, & contrà. Unde 2da & 3tia species non extenduntur ultra 1mum gradum.

De Cognatione Carnali.

Q. Quid est cognatio Carnalis? *R.* Est ordinata connexio personarum consangvinitatem inter se habentium.

Q. Quæ sunt in hoc Impedimento consideranda? *R.* tria: Stipes, gradus, & linea. *Stipes*, est persona illa à qua aliæ personæ de quarum cognatione tractatur descendunt. *Linea* Est ordinata hujusmodi personarum Series. *Gradus* Est men-

mensura personarum quâ cognoscitur quanta sit propinquitas consangvinitatis, vel distantia inter ipsas, quæ in linea includuntur,

Q. Quotuplex est linea? R. 2plex recta quæ est ordo personarum consangvinitate junctarum, quarum una descendit ab altera. Hæc subdividitur *in lineam descendentem* quæ est à persona propagante ad propagatam vg. à Patre ad filium, Nepotes, &c. Atquè *in ascendentem* quæ est vicissim à persona propagata ad propagantem vg. à Filio ad Patrem, Avum pro Avum &c.

Altera linea vocatur *Collateralis* vel transversa, in qua continentur personæ ex latere, & ex transverso junctæ, à quibus non ducimus originem, nec ipsæ à nobis, & tamen ab eodem stipite & sangvine descendimus. Sic duo fratres, duæ sorores constituunt inter se collateralem, quia unus frater non descendit, aut genitus est ab altero, sed ambo immediate proveniunt ab ipso velut ab uno stipite, communiquè sangvine. Sic duo Patruelles proveniunt ab eodem Avo.

Hæc linea Collateralis dividitur in *æqualem & inæqualem*. In prima continentur gradus consangvineorum æqualiter à stipite distantium, uti sunt: duo fratres, aut sorores, vel eorum filii &t filiæ &c: si autem unus altero distet unô vel alero gradu remotiùs à communi stipite, dicuntur esse in linea inæquali, Sic frater à sororis; aut fratris filia distat inæqualiter, quia frater à communi stipite distat 1. gradu, Fratris autem aut sororis filia 2. gradu.

Q. Inter Collaterales ad quem gradnm extēditur impedimentum dirimens Matrimonium? R. ad 4. gradum inclusivè. q.

Q. Consangvinei vg. in 1. & 5. gradu vel in 4. & 5. gradu an licitè possunt contrahere sine dispensatione S. Sedis? *R.* Affir: San: Aver: &c: cum ratione 5ti grad: nullum oritur impedimentum.

Q. Infideles conjuncti in gradu prohibito debentnè separari post baptismum? *R.* non si gradus prohibitus est illius generis, in quo solet Ecclesia dispensare Com: DD.

De. Affinitate.

Q. Quid est Affinitas? *R.* Est propinquitas Personarum ex copula Cornali proveniens.

Q. Unde oritur hæc Affinitas? *R.* non solum ex copula conjugali, seu concubitu legitimo, sed etiam fornicario extra Matrimonium habito, vel adulterino.

Oritur hæc Affinitas, sive hæc carnalis copula exerceatur cum volentè, sive invita, metuvè, aut vi coacta, vel oppressa, sive cum dormiente, aut ebria, vel insana, sive deniq; illa copula sit occulta, sive publica. San. & alii.

Q. Quomodo Affinitas concomitatur Consangvinitatem? *R.* Iuxta gradum Consangvinitatis seriem nempè in quo gradu uxor Caii Berta est consangvinea suis cognatis, in eodem gradu fit illis affinis maritus ejus Cajus. Et è converso: inquo gradu Cajus Maritus Bertæ est cognatus suis consangvineis, in eodem gradu facta est affinis, consangvineis Mariti sui Caii Berta.

Rem fusius declaro sic: Mortuâ Bertâ quæ fuit Caii uxor, superstes Cajus non potest accipere in uxorem sororem defunctæ germanam,

quia

quia est illi affinis in grad: 1. Nec sororem patruelem Bertæ quia hæc est illi affinis in grad: 2. utpotè consangvinea Bertæ in grad: 2. Nec potest accipere Bertæ defunctæ ex fratre & sorore patrueli natam neptem, quia est illi affinis in grad: 3. Nec proneptem ex fratre aut sorore patrueli, quia est illi affinis in grad: 4. E converso: Si Berta superviveret, & Cajus prius moreretur, non potest nubere Berta fratri germano Caii, quia est illi affinis in grad: 1. Nec patrueli quia in grad: 2. Nec Filio Patruelis, quia in 3. Neq; nepoti patruelis quia est Affinis in gr: 4.

Q. Quamdiu durat affinitas hic descripta? *R.* durat etiam post mortem ejus, qui Affinitatis contractæ causa fuit, sicut & consangvinitas.

Q. Quid requiritur ut contrahatur affinitas proprie dicta quæ inducit impedimentum? *R.* requiritur ut proveniat ex copula perfecta, consummata in qua virile semen intra vas fæmineum recipiatur. Unde primo non consurgit affinitas ex Matrimonio solum rato. 2. neq; ex contactibus quantumvis impudicis, & pollutionibus factis extra vas. 3. nec ex copula Sodomitica sivè ejusdem sexus

Q. Ad quem gradum affinitas contracta dirimit Matrimonium? *R.* affinitas orta ex copula licita seu Matrimoniali dirimit usquè ad 4. grad: inclusivè ita ut si uxor Petro moreretur, Petrus nullam ex consangvineis primæ uxoris suæ usq; ad 4. gradum ducere potest

Affinitas verò orta ex copula illicita, seu fornicaria ad 2. solum grad: dirimit inclusivè. Hinc 1mo. Petrus fornicans cum Anna potest con-

rahere cum consangvineis Annæ in 3. & 4. gra: sine ulla dispensatione. Conc: Trid: *sess* 24.

R. 2do Paulus Maritus committens Adulterium cum consangvineis suæ conjugis in 2. gra: (vel vicissim) ideoquè factus affinis conjugi suæ intrà gradum 2. non dirimitur jam tunc Matrimonium contractum, sed solum Paulus amittit jus petendi debitum sub mortali donec procuret sibi dispensationem ad petendum debitum. Quāvis innocenti parti debitum petenti reddere possit, quin & teneatur. Spor: &c:

Q. *An* incurrit hanc pænam ille qui ignoravit illam, cum quâ coībat esse consangvineam aut putavit esse in remotiori gradu conjunctam? *R.* non, nam Textus dicit: *Si scienter.* Hinc juxta San: etiam excusaret eum ignorantia vincibilis, & crassa, si non sit enormiter temeraria, & affectata.

Q. Quodsi sciverit se peccare in 2. gradu affinitatis, sed non sciverit hanc pænam esse annexam, an tunc incurreret dictam pænam? *R.* negant quidem Lai: Dia: Bon: sed probabiliùs affirmant *Henr: Pont: Lero:* &c: sicut enim mulier occidens virum, ut cum adultero contrahat, incurrit pænam criminis, quamvis non sciverit esse annexam (uti cum com̃u: *Hurt: Con: Les: Gob: &c:*) Ex eo quia impedimentum criminis non est mera pæna, sed simul inhabilitatio, ita & hic incurritur inhabilitas ad petendum debitum, ob contractum impedimentum novæ affinitatis.

Dicta pæna non incurritur ab eo, qui peccavit cum consangvineis suæ conjugis in 3. vel 4.

gra

gradu *Kugl*: *&c*: neq; qui cum suæ consangvinea peccavit quia pæna non est afferenda absq; jure Neq; uxor si fuerit invitè cognita à consangvineo mariti sui Qvia suo jure sine culpa non debet privari, *Cap. Discretionem.*

Q. Quœ sunt scienda de affinitate directa, & propriè dicta? *R.* ad discernendam affinitatem directam, & propriè dictam ab indirecta & in propria, advertendum est diligenter, quod ille qui cognoscit carnaliter aliquam, solus contrahat affinitatem cum consangvineis cognitæ, non verò frater, vel alius ejus consangvineus.

Et viceversâ quod illa tantum, quæ cognoscitur à Viro, cum ejusdem consangvineis efficiatur affinis, non verò illius Mater soror &c: Unde licet consangvinei utriusq; partis carnaliter copulatæ communiter vocare se soleant affines, reverà tamen non sunt, modus enim hic loquendi est popularis tantùm, & improprius: Rem declaro exemplis.

1. Possunt duo fratres germani ducere duas sorores germanas.

2. Potest Pater ducere Viduam, & duo filii ejusdem Patris duas filias ejusdem Viduæ.

3. Potest Petrus successivè ducere duas Viduas, quarum Mariti germani fratres erant. *Spor. &c:*

4. Potest Paulus ducere Annam Viduam Julii, qui Julius prius duxerat Cajam sororem germanam Pauli, eâ autem mortuâ nubserat Annæ. *Spor:*

5. Potest Pater sponsi ducere Matrem vel Filiam sponsæ. *Kugler:*

6. Poſſunt contrahere Matrimonium duo com privigni, ſeu liberi conjugum ex alio thoro ſuſcepti; quod contingeret, ſi Viduus & Vidua, uterq; iam habens liberos ex alio Matrimonio, copulentur.

7. Si Anna habet fratrem germanum Petrum cui nupta eſt Caja, Anna verò nuptâ eſt Joāni, tunc contrahit ſolus Joannes Affinitatem pro priè & perſe cum Petro, & reliquis conſangvineis ſuæ conjugis Annæ, non verò cum Caja Petri uxore: Unde Mortuâ, Annâ, & Petro poſſet Joannes ducere Cajam. *Vel clarius* Validè & licitè contrahunt Matrimonium inter ſe Fratris & ſororis ſuperſtites conjuges.

8. Poteſt quis ducere Privignam, vel Novercam ſuæ uxoris defunctæ *Eng:*

9. Caius poteſt ducere Vitrici ſui Matrem. Et frater Vitrici poteſt ducere hujus Privignam. *Picti:*

10. Poteſt Filius Viduæ unius ducere alteram Viduam, cujus item filius ducet Matrem ſui Vìtrici, ſeu Mariti ſuæ Matris. quo facto: nato alium ex dictis filio, dicere poſſet alterutra, vel utraquè: Hic eſt filius filii mei, & ſimul frater Mariti mei. *San: Bon: &c:*

De Crimine.

Q. Quid intellitur nomine Criminis? *R.* intelligitur non quodcunquè crimen etiam attrociſſimum, ſed neceſſe eſt intervenire: vel Adulterium, vel conjugicidium, vel utrumq; cum certis tamen adjunctis; jure Eccleſiaſtico hoc impedimentum introductum eſt, ut vitentur cædes & Adulteria.

q.

Q. Quotuplex eſt crimen dirimens matrimonium? 4plex. *Primum Conjugicidium* ſeu *Machinatio*: id eſt conventio uxoris cum tertio in mortem mariti, vel è contrà; non aliter, quam ſub intentione contrahendi matrimonium effectu ſecuto ſcil: morte.

Q. Quando nam ob machinationem incurritur impedimentum? *R.* quando ex prævia conſpiratione aut vir occidit uxorem ſuam, vel è contrâ; eâ intentione, ut cæde patratâ, & effectu ſecuto, ſimul Matrimonium contrahant. *San. Lay.*

Q. Quæ prærequiruntur ad id, ut quis incurrat hoc impedimentum? *R.* 1. Intentio mutuò manifeſtata contrahendi Matrimonium. 2. Cædes verè & in effectu ſecuta. Sufficit autem influxus moralis in cædem per conſilium mandatum preces minas &c: dummodo cædes vitalis influxus ſequatur. Non ſufficit ratihabitio poſt factam cædem ſecuta, abſq; conſpiratione facta. *Laii: Leſ:* 3. Ut Matrimonium fuerit verum, ſaltem ratum cum priore conjugè, & non ſola ſponſalia etiam jurata. 4. Ut intentio nubendi à nemine ſit revocata ante machinationem. 5. Ut intentio ſit expreſſa, determinata, cum hac perſona, & non cum alia nubendi poſt mortem prioris conjugis.

Crimen *Secundum: Adulterium cum Conjugicidio* ſcil: quando adultera vel è contra occidit virum ſuum, ut contrahat cum adultero, quamvis Adulter non ſit conſors ſeu conſcius occiſionis, non poteſt contrahere validè cum eodem adultero poſt mortem ſui occiſi mariti.

Q.

Q. Petrus & Anna factâ conventione occidũt Bertam Petri uxorem, ut liberius illâ venenô sublatâ, vagæ libidini vacarent: post mortem Bertæ resipiscunt, & omissa lasciviâ vagâ volunt secum Matrimonium inire: an possunt validè? *R.* possunt. P. mendo &c: quia ad machinationem non est adjuncta promissio Matrimonii. Sed diversa intentio utriusq; adulteri.

Ad incurrendum immediate dictum impedimentum requiritur. 1. Ut adulterium sit formale, ut utriq; constet, quod unus illorum sit ligatus Matrimoniô. 2. ut alteruter sit in vero Matrimonio.

Crimen *Tertium Adulterium solum* sine conjugicidio, sed commissum sub promissione & fide datâ de Matrimonio contrahendo post alterius conjugis mortem.

Q. Quæ Conditiones requiruntur ad incurrendum hoc impedimentum? *R.* 1. ut uterq; sciat suum peccatum esse adulterium, seu superstitem esse conjugem alterius, nam si uterq; ignoret poterunt contrahere Matrimonium post mortem conjugis innocentis. 2. Ut sit perfectum per copulam perfectam carnalem. 3. Ut adulterium & promissio fiat vivente legitimo conjuge adulteri. 4. ut promissio sit vera non ficta, nec ante adulterium revocata, ut sit aliquo signo externô manifestata, Non requiritur ut sit mutua repromissio. *San: Sot: Lob: Pir: &c.*

Crimen *Quartum* Adulterium cum Matrimonio irrito vivente conjuge legitimo; Quando *vg.* quis *rite* celebrato matrimonio cum una, non cognitâ eâ, contrahit cum 2da: crimen hoc dirimit Matrimonium cum ea 2da etiam post mortem

1mæ

1mæ, si illud celebret. *Tol. &c.* Servatis tamen his 2. conditionibus: quod hæc 2da sciebat esse conjugatum: & ab eo est cognita. Aliter impedimentum inter eos non contraheretur.

Dixi rite quia si cum 1ma Matrimonium esset nullum, tunc cum 2da est validum.

Q. Dum hoc crimen dirimit Matrimonium cum adultera, an etiam dirimit seu impedit cõtrahendi cum aliis? *R.* non *San: Bon:* Idem dicendum de anterioribus casibus.

Vis seu Metus.

Q. Quid hoc vocabulo *vis* intelligendum venit? *R*, intelligitur omne id quod impedit libertatem Matrimonii seu physicam, seu moralem Unde vis & metus injustè incussus irritat Matrimonium, & si illud sit juratum. debet autem esse directè incussus ad extorquendum consensum ipsum Matrimonii, & non ad alium finem *Spor.* n. 13.

Q. An metus justè incussus dirimit Matrimonium *vg.* si à judicè præciperetur stupratori virginis ut eam duceret sub pæna excommunicationis? *R.* non *Wiest: Pich.*

Pariter non dirimit si metus proveniat à causis naturalibus seu sortuitis (quem DD. vocare solent metum intrinsecum) *vg.* si quis contrahat cum concubina metu mortis ex morbo, naufragio timore inferni. *Busen: Kug:* &c:

Q. Quis metus irritat Matrimonium? *R.* 2plex est metus. 1. *Gravis* quando timetur gravè malum inferendum aut ipsi metuenti, aut personæ valdè conjunctæ, ut Patri, fratri &c: Hujusmodi est meus mortis, mutilationis, cruciatû

car-

carceris diuturni, gravis infamiæ amiſſionis officii ad ſuſtentationem neceſſarii, excommunicatio nis injuſtæ, majoris partis bonorum exhereditationis: qui metus cadens in virum conſtantem dicitur, & talis metus reddit Matrimonium irritum in utroq; foro. Com. TT. & Canoniſt:

2dus metus dicitur *levis* quando timetur leve malum tantum, vg. incuſſio colaphi, levis verberatio, qui non irritat matrimonium, neq; metus reverentialis, quo nimirum juvenis vel puella tantum ideo conſentit in Matrimonium, quia timet nè contra dicendo agat contra reverentiam debitam Patri, *Lai: Sper:*

Cultûs Disparitas.

Q. Quando hoc impedimentum incurritur? R. quando quis baptizatus ſcienter contrahit cũ non baptizata, tunc & peccat graviter, & Matrimonium eſt nullum, incurritq; excommunicationem nulli tamen reſervatam. *Cardi: de Lvur:*

Q. Quando unus ex infidelibus convertitur ad fidem Chriſtianam. alter verò manet in infidelitate an eo ipſo diſſolvatur *Matrimonium*? *R.* Non, ſed permanet, tanquam contractus civilis. Si conjunx infidelis velit cum fideli cohabitare ſine injuria & blaſphemia DEI, ſecus Matrimonium etiamſi fuerit conſummatum diſſolvitur quo ad vinculum, ita ut conjunx fidelis poſſit ad aliud Matrimonium cum Chriſtiano transire ante omnem ſententiam judicis. *Tamb. Perez.*

Ordo.

Q. Qui ordines dirimunt Matrimonium? *R.* Tres ordines S. ob continentiæ votum illis annexum

nexum jure Ecclesiastico impediunt Matrimonium contrahendum illudq; dirimunt si susceptis prius iisdem S, ordinibus contrahatur.

Si autem post initum prius Matrimonium & si sit tantum ratum suscipiantur S. Ordines, non dirimunt illud. Professio autem religiosa dirimit Matrimonium ratum, nondum consummatum, quia pro hâc habentur jura, non pro illis.

Validè quamquam illicitè suscipietur S. ordo à conjugato, nihil enim deesset ad valorem, cū uxoris consensus non sit de essentia Sacramenti ordinis. *San: Lai:* &c: Iuxta quos, uxor sic ordinatum ad consortium conjugale revocare potest. Qui debitum conjugale reddere posset uxori petenti sed ille petere non posset propter votum castitatis annexum S. Ordinibus. *Bon: &c.*

Q. Quas pænas iucurrit Clericus in sacris Matrimonium invalide contrahens? *R.* incurrit excommunicationem nulli tamen reservatam, & irregularitatem, aliasq; pænas in jure expressas. *Navar.*

Ligamen.

Q. Quid intelligitur nomine ligaminis? R. Vinculum prioris matrimonij, quô durante, posterius est irritum. Polygamia seu pluralitas uxorum olim à DEO permissa viris. nunc sublata est à Xto. ut nec Pontifex dispensare possit. Com: T. T.

Q. An est validum Matrimonium contractum ab eo, qui falsò credebat superstitem esse priorem uxorem sed revera mortua erat? *R.* Si contrahens credebat se posse validè contrahere, aut si habebat voluntatem contrahendi quantum poterat

terat. Idem dicendum de eo, qui contraxit, credens adesse impedimentum dirimens: quod revera non adest. *Nav. Sa*, &c.

Q. Si impedimentum ligaminis vel aliud quodcunq; Confessarius agnoscit in confessione, & retractare nullo modo potest an debet copulare? *R.* Affir: nam sicut debet communicare publicè petentem communionem, etiamsi sciat ex confessione esse indignum, ita etiam & in hoc casu, idq; propter sigillum confessionis *Spor &c.*

Honestas.

Q. Quot sunt impedimenta publicæ honestatis? *R.* Duo. 1. Ex sponsalibus. *Alterum* ex matrimonio solùm rato. Est autem publica honestas: quasi quædam affinitas jure Ecclesiastico introducta ob publicam morum honestatem. Id est, qui sibi desponsavit Annam, non potest validè sine dispensatione Pontificia contrahere matrimonium cum ejus sorore germana, aut matre.

Q. Ex quibus sponsalibus resultat hujusmodi impedimentum? *R.* 1. Ex solis sponsalibus validis, & absolutis. Et si sponsalia conditionata, vel quacunq; ratione non valida fuerunt nullum oritur impedimentum. *Trid.* sess. 24. Neq; ex sponsalibus contractis à Parentibus nomine Filiorum sine eorum consensu. *San: &c. apud Ost.*

R. 2. Ex sponsalibus ab initio validis, & postea vel mutuo consensu vel morte alterius sponsi dissolutis permanet impedimentum publicæ honestatis S.R.C. 6ta Julij. 1658 *apud Octa: Barb: Fag.*

Q. Impedimentum illud, ad quem gradum dirimit matrimonium? R. ad solum 1. grad: Unde non potest sponsus contrahere validè matrimonium sive vivente sive mortuâ sua sponsa cum ejus matre, sorore vel Filia. Et vice versa nequit

quit validè contrahere matrimonium sponsa cum Patre, Fratre, aut Filio sui sponsi; cum aliis verò consangvineis in ulteriori gradu nullum intercedit impedimentum.

Q. Impedimentum publicæ honestatis ortum ex matrimonio rato ad quem gradum extenditur? *R.* ad 4. grad: inclusivè, ita ut qui contraxit cum aliqua de præsenti, eâ mortuâ ante conjugii consummationem non possit postea ducere ullam usq; ad 4. grad: Et vicissim mortuô maritô, non potest uxor superstes nubere ulli ex consangvineis sui conjugis intra 4. grad: *Spor: cum Com: DD.*

Q. Ex sponsalibus fictis & matrimonio invalido oriturnè impedimentum publicæ honestatis? *R. ad 1mam* partem Neg. *ad 2dam* Affir: nam sic jure novo sancitum est. Fag: referens decisionem S. Cong: Card:

Q. Quid si aliquis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia quàmnam in uxorem teneatur habere? *R.* Eam, cum qua 1mo contraxit sponsalia Secunda verò sponsalia cum altera quamvis de præsenti fuerint propter impedimentum publicæ honestatis, invalida sunt.

Aliud autem dicendum si quis cum duabus sororibus successivè contraheret sponsalia, & secundam etiam carnaliter cognosceret, tunc enim neutram habère posset, non primam, quia ex copula nata fuisset vera affinitas, quæ etiam dirimit sponsalia præcedentia. C. *ex literis 8. de eo qui cognovit.* Nequè secundam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum. *Eng.*

Ætas.

Q. Quæ ætas ad Matrimonium validè contra-

hendum

hendum requiritur? *R.* in mare 14. in fæmina. 12. annus physicè completus, ita ut contractus reddatur irritus, si vel unus dies desit. Imo etiam dies ultimus debet esse completus Mathematicè de momento ad momentum, ut probabilius tenent DD. apud Kugler nisi malitia superet ætatem, sed & tunc adhuc requiritur licentia Episcopi. Com. DD.

Clandestinitas.

Q. Quid nomine clandestinitatis intelligitur? *R.* Matrimonium absente Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi licentia, & sine duobus saltem testibus contractum.

Ad valorem Matrimonii requiritur assistentia proprii Parochi, etiamsi sit per errorem illegitimè constitutus, dummodo habeatur pro Parocho.

Q. An simpliciter nunquam valet contractus Matrimonialis absq; *Parocho? R.* valet in illis locis ubi nulli sunt Parochi, quamvis Trid: sit ibi promulgatum, 2. & si Parochus est alicubi, sed latet ob metum hæreticorum, unde tunc sufficiunt duo testes. 3. si ad Parochum non detur securus accessus, ut si ad sit metus mortis, exilii, quia tunc censetur Parochus moraliter abesse. *Lai: Gob: &c:*

Impos.

Q. Quid est impotentia de qua hic est sermo *R.* est vitium naturale vel accidentale impediens coitum, sive est defectus corporis qui impedit copulam conjugalem.

Impotentia solùm ad generationem, valori matrimonii non obstat, quæ aliàs vocatur sterilitas.

Q. Quomodo dividitur impotentia? R. una est *naturalis* & ab intrinseco, quæ procedit ex debilitate, vel frigiditate personæ. Altera est *præternaturalis* & ab extrinseco, seu per maleficium, quæ arte dæmonis, vel veneficii supervenit, utraq; vel est perpetua, vel tēporalis.

Perpetua est quæ viribus naturæ sine miraculo vel sine offensa Dei tolli nequit.

Temporalis est illa quæ sine peccato & sine notabili periculo vitæ, vel salutis per remedia naturalia & humana removeri potest. Porro impotentia alia est respectiva, alia absoluta.

Respectiva. est quando subjectum est inhabile ad cognoscendam certam in individuo mulierem, non vero alias.

Absoluta est quando subjectum respectu omnium est inhabile.

Alia *Antecedens*, alia *Subsequens* Matrimonium.

Q. Quæ ex illis impotentia dirimit matrimonium? R. Sola perpetua & antecedens. Temporalis verò & subsequens Matrimonium contractū non dirimit. Impotentia, respectiva perpetua; & antecedens Matrimonium solum dirimit respectu illius personæ, ad quam se extendit illa impotentia, non verò respectu aliarum, ad quas se non extendit. Impotentia verò absoluta cum sit perpetua, & antecedens, Matrimonium dirimit cum omnibus personis, sive sit impedimentum naturale, sive proveniens ex maleficio. Corr

Q. Impotentia proveniens ex maleficio quo medio tolli potest? R. Exorcismis aliisq; piis operibus, uti devota Confessione, communione

ut DE-

ut DEUS per talia media destruat omnem diabolicam facturam, quæ fini Sacramenti Matrimonii obstet.

Raptus.

Q. Quid est Raptus? R. est abductio mulieris invitæ de domo parentis, aut fratris causâ Matrimonij ineundi.

Raptus inter raptorem & raptam sub potestate raptoris existentem dirimit Matrimonium, etiamsi illa consentiat sub ea potestate existens.

Dicitur *mulieris invitæ* quia si illa rapi velit, aut precibus convicta in raptum consensit tunc non erit propriè raptus, consequenter non incurretur impedimentum.

Dicitur *de domo parentis* nam si solum de hypocausto ad hypocaustum, talis raptus non dirimit matrimonium.

Dicitur *inter raptorem & raptam*, quia si quis rapiat illam ex intentione, ut alius eam in uxorem habeat, si rapta consentiat in matrimonium ejus, erit validum, nec pænas raptus contrahens incurret, si non est causa raptûs per se, vel per alios quocunq; modo cooperando.

Dicitur *sub potestate raptoris* nam quodsi rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, validus erit contractus.

De Divortio.

Q. Quid est Divortium? R. Est viri ab uxore, aut uxoris à viro legitima separatio.

Q. Quot modis fieri potest Divortium? R. 3bũs. 1. quo ad vinculum Matrimonij. 2. quo ad solum thorum. 3. quo ad thorum & habitationem. *Bon: Nav:*

Q. Matrimonium Catholicorum poſtquam eſt conſummatum an poteſt diſſolvi quo ad vinculum? *R.* non, niſi ſuperveniente morte alicujus è conjugibus, aut niſi interceſſerit impedimentum dirimens in quo diſpenſari non poſſit. qualia ſunt impedimenta dirimentia jure naturæ.

Q. An Matrimonium nondum conſummatum poteſt diſſolvi etiam quoad vinculum *R.* poteſt 1. Per profeſſionem in aliqua approbata Religigione, etiam altero conjuge invito *Conc: Trid.* Ita ut conjugi in ſæculo remanenti ſit licitum contrahere cum alia perſona.

Q. An & quibus de cauſis poſſit Matrimonium ſolvi quo ad thorum, & habitationem? *R. Primo* ſi conjuges ut meliùs DEO ſerviant, vel nè proles eorum ſupra facultates multiplicentur, mutuo conſenſu in perpetuum, vel ad tempus thoro ſeparantur, nullô editô votô. Si mutuo conſenſu ambo conjuges continentiam voveant. Si uterq; conjunx mutuo conſenſu religionem ingrediatur, ſed uxore, ad religionem ingrediente, aut ſi vetulà ſit, manente in ſæculo perpetuæ continentiæ votùm faciat, maritus ſuſcipiat ordines. *Lay: Bon: &c.*

2do Propter hæreſim vel Apoſtaſiam ſupervenientem in matrimonio. *3tio* Si conjunx conjugi ſine gravi periculo animæ cohabitare non poſſit. *4to.* propter nimiam ſævitiam viri, ſeu propter uxoris maleficia, quibus vitæ mariti aut liberorum inſidiatur. *5to.* propter adulterium publicè notum imò propter omnem illicitum coitum contra naturam. *Nav: Bon: 6tò* propter infirmitatem contagioſam ut eſt lepra &c.

q. po-

Q. Poteſtnè vir ab uxore Adultera propriâ Authoritate recedere? *R.* non, ſed opus eſt Authoritate Judicis ſpiritualis.

Q. Separationes in prædictis caſibus ſuntnè temporales, an perpetuæ? *R.* exceptô Adulteriô ſunt temporales, & eo usq; durantes quousq; earum cauſæ durant, cauſâ ceſſante tenetur conjunx ad alterum reverti. *San:*

De Diſpenſatione in impedimentis.

Q. Quo modô procuranda eſt Diſpenſatio ſuper impedimentis Matrimonii à ſede Apoſtolica? *R.* 2plex datur Romæ Tribunal ad quod pro impetrandis diſpenſationibus recurri poteſt. 1*mo.* Pro foro interno & vocatur *S. Pœnitentiaria* ſolet autem hæc diſpenſare ex juſta cauſa ſuper impedimento occulto, quod eſt juris Eccleſiaſtici. *Etiam.* pro contrahendis Matrimoniis exceptâ ſolâ conſangvinitate, nam quo ad hanc diſpenſat tantùm in contractis, & quidem extra 1. & 2. gradum. Unde diſpenſat etiam in 1. gradu: affinitatis etiam ex copula licita, etiam pro contrahendis neq; hic opus eſt ullis ſumptibus. Speng: &c.

Alterum tribunal vocatur *Dataria* & eſt pro foro externo, adeoq; ſi impedimentum ſit notum, & publicum, neceſſe eſt ab ea diſpenſationem poſtulare, ſed non abſq; expenſis.

Q. An etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt ſuper impedimento dirimente nondum initô Matrimoniô? *R.* affirmat *Lay: Gob. ſan:* &c. In magna neceſſitate *vg.* in hoc caſu: Accedit mulier mane confeſſura & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam notabilem produceret, omnia ſunt parata ad nuptias veſpere celebrandas, & tentatis omnibus mediis

nul-

nulla via evadendi aperitur, sed suspicio oritur alicujus criminis detecti in confessione, si fœmina abstinere velit à nuptiis, aut differre dum Pontificia Dispensatio obtinetur certè illa potius ad nuptias irritas sacrilegas se resolvet, quam ut ab iis abstinendo, perpetuam infamiam & pericula damnorum, rerum gravium subeat.

In hoc vel simili casu (maximè si aliquis sponsorum contraxit affinitatem ex copula illicita) potest confessarius sic dicere: Celebra ergo nuptias sub conditione, si Papa dispensaverit sed sine animo consummandi, imo fac votum castitatis, vel peregrinationis pro felici auspicio suscipiendæ, statim altero tertiovè die post copulationem, tuum hoc votum indica sponso, ego interim petam dispensationem ab Episcopo. ita *Gob. Kugl:* Bossig putant in tali casu posse sponsam debilitatem ad aliquod tempus simulare.

Q. An Episcopus dispensare potest super impedimento dirimente in Matrimonio jam contracto? *R.* ex benigna interpretatione legis & mentis Pontificiæ potest pro foro tantùm interno, sub his tamen conditionibus: 1. Si adsit gravis necessitas. 2. Si ea sic urgeat, ut non sit tempus adeundi Pontificem, vel ejus Nuntium. 3. Si impedimentum sit occultum. 4. Si adsit bona fides, quando contractum est Matrimonium, id est: si adfuit inculpata ignorantia impedimenti. *Haunol: cum comm:*

Q. Quomodo Matrimonium revalidandum, si uni tantùm ex conjugibus constet de nullitate Matrimonii? R. si unus tantùm sciat impedimentum dirimens, tunc ad revalidandum Matrimonium post impetratam dispensationem necessariò

requi-

requiritur, ut nullitas Matrimonii utriq; parti aliquomodo innotescat, adeoq; conscius alteri ignoranti generatim, vel sub dubio significet defectum matrimonii, non necessario ipsum impedimentum, dicendo *vg: angor scrupulis de Matrimonii nostri valore ideoq; renovemus consensum, & ; sic uterq; consentiat.*

Si tamen conscius nullitatis Matrimonij sine gravissimo incommodo periculo infamiæ, scandali &c. id præstare non possit, tunc sufficiet solum novum consensum obtinere ab ignorante, nullā mentionem faciendo de aliquo impedimento.

Quodsi vg. vir impedimentum ignorans, adeo morosus sit ut nihil dicere velit, sufficiet copula habita affectu maritali post dispensationem impetratam. *Tibur: Nav: &c.*

Q. Utrum Matrimonium cum impedimento dirimente occulto utriq; solum conjugi noto celebratum debeat rursus coram Parocho & Testibus celebrari post obtensam dispensationem, ut revalidetur? *R.* 1. Affir: Si matrimonium fuit invalidum ex defectu ipsius solemnitatis, quia scil: clandestine sine Parocho & testibus contractum in loco ubi Trid: receptum.

Pariter quando impedimentum fuit publicum, & ad forum contentiosum deductum.

R. 2*do*. In casu, quo Matrimonium contractum fuit cum debita solemnitate, sed invalidè ob defectum consensûs, vel ob aliud impedimentum dirimens, quodcunq; impetrata dispensatione necesse non est Parochum, & Testes iterum adhibere, sed sufficit, ut ipsi conjuges secretò inter se consensum renovent. *Lay: Poss: Spor. Kug. &c.*

Obtentâ pro foro interno dispensatione sive

Apo-

Apóstolicâ, sive Episcopali pænitens prius Confessionem Sacramentalem absolvet, tandem Confessarius post absolutionem datam à censuris & peccatis immediatè subnectet formulam ex infrà positis hic pro exigentia casûs

Formula absolvendi à transgressione Voti religionis aut castitatis si Matrimonium contractum sit.

Item Authoritate Apostolicâ mihi specialiter delegatâ te non obstante voto religionis (vel) castitatis quod emisisti & transgressus fuisti in Matrimonio remanere & debitum conjugale reddere posse & debere declaro, & ut idem debitum etiam exigere licite possis & valeas, tecum eadem Authoritate dispenso In nomine Patris &c.

Formula commutationis Voti religionis in alia opera.

Item: Authoritate Apostolicâ mihi specialiter delegatâ tibi votum religionis, quod emisisti in opera pietatis quæ tibi præscripsi dispensando ad effectum licitè contrahendi Matrimonium, seu ad effectum remanendi in sæculo, in vita cælibe commuto. In Nomine Patris & Filij & spiritûs Sancti Amen.

Pro Commutatione votorum castitatis aut peregrinationis eadem formula inservit mutatis Mutandis.

Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis, proveniente ex copula illicita ad contrahendum Matrimonium.

Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi, seu secundi, seu primi & secundi gradûs

dûs affinitatis, ex copula illicita à te habita cum Matre aut ſorore, aut conſobrina, aut &c. mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente, ita ut præfato impedimento non obſtante, Matrimonium cum dicta muliere, publicâ ſervatâ ſororimâ Concilii Tridt: contrahere, conſummare, ac in eo remanere licitè poſſis, & valeas. In Nomine Patris &c.

Inſuper eadem Auctoritate Apoſtolica prolem, quam ex Matrimonio ſuſceperis legitimam foro decerno, & declaro. In Nomine Patris &c.

Formula diſpenſationis ſuper impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in Matrimonio contracto.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento primi, vel ſecundi affinitatis gradûs ex copula illicita, quã cum ſorore, vel Matre vel &c. tuæ putatæ conjugis antea habuiſti: ita ut illo non obſtante, renovato conſenſu cum præfata conjuge, Matrimonium cum illa contrahere, conſummare, & in eo remanere licitè valeas, & poſſis. In Nomine Patris &c.

Item eadem Auctoritate Apoſtolica, prolem, ſi quam ſuſcepiſti, & ſuſceperis legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris &c.

Formula diſpenſationis ſuper inceſtu non expreſſo in literis obtentis à Dataria ad contrahendum.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimen-

to

to ex inceſtuoſa copula. quam cum tua conſangvinea, ſeu affine habuiſti, proveniente, ut præfato impedimento non obſtante, Matrimonium cum illa, ad formam literarum diſpenſationis, quam à ſede Apoſtolica obtinuiſti, contrahere licitè poſſis, & Valeas. In Nomine Patris &c.

Formula diſpenſationis ſuper impedimento ut ſupra ad remanendum in contractu.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegatâ, diſpenſo tecum, ſuper impedimento, ex inceſtuoſa cognatione in literis diſpenſationis, cujus vigore contraxiſti, non expreſſa, proveniente denuò Matrimonium cum illa contrahere, renovato conſenſu, & conſummare, ac in eo remanere licitè poſſis, & valeas. In Nomine Patris &c.

Item eadem Auctoritate Apoſtolica prolem, ſi quam ſuſcepiſti aut ſuſcepturus es, legitimam eſſe, & fore decerno, & declaro. In Nomine Patris.

Formula diſpenſationis pro conſangvineis vel affinibus, qui ignorantes gradum prohibitum Matrimonium contraxerunt, publicationibus in Eccleſia factis.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento tertij, vel quarti grádûs conſangvinitatis, vel affinitatis, ut illo non obſtante, cum tua putata conjuge, prævia renovatione prioris conſenſus, Matrimonium ſecretò inter te, & ipſam contrahere; & coſummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeas. In Nomine Patris. &c.

Inſuper Auctoritate Apoſtolicâ prolem, ſi

quam

quam ſuſcepiſti, vel ſuſceperis legitimam eſſe, & fore decerno, & declaro. In Nomine Patris &c.

Formula pro iis qui Matrimonium contrahere deſiderant cum impedimento Criminis occulto.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica, mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento criminis, ex Adulterio & fide data proveniente (*vel ſi aliud Crimen ſit illud exprimatur*) ut illo non obſtante cum Muliere Matrimonium publica ſervata forma Tridentini Concilii contrahere, & conſummare, debitum conjugale exigere licitè poſſis & valeas. In Nomine Patris &c.

Pariter eadem Auctoritate Apoſtolica prolem ſuſceptam, non tamen in Adulterio, & ſuſcipiendam, legitimam eſſe, & fore declaro. In Nomine Patris &c.

Formula pro his qui Matrimonium contraxerunt cum impedimento criminis occulto.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica, mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento criminis ex adulterio & fide data proveniente (*vel alio ſi aliud ſit*) ut illo non obſtante, Matrimonium cum tua putata conjuge contrahere, conſummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere valeas. In Nomine Patris &c.

Pariter eadem Auctoritate (*ut ſupra pro legitimitate prolis*) *&c.*

Formula concedendi jus exigendi debitum conjugale, poſt quam hoc amiſſum fuerit ob peccatum inceſtûs cum conſangvinea conjugis.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica mihi commiſſa, diſpenſo tecum ut non obſtante affinitate: quam con-

contraxisti cum tua uxore, ex illicita copula à te habita cum ejus Sorore (*vel &c.*) cum eadem remanere in Matrimonio possis, debitumque conjugale ab eadem exigere, & reddere licitè valeas. In Nomine Patris &c.

EXAMEN.

Pro Approbatione.

Ad excipiendas Fidelium Confessiones.

Q. Quid desiderat? *R.* Examinari pro approbatione ad excipiendas Fidelium Confessiones.

Q. Quid est Approbatio? *R.* Est authentica declaratio seu testificatio, personam habilem, & dignam esse, cui jurisdictio ad confessiones audiendas conferri possit. Et est justa Tridt: de Valore Sacramenti. Non requiritur ut sit omnino in scripto, nam potest etiam dari verbaliter.

Q. An Approbatio, & Jurisdictio differunt? *R.* Affirm: nam approbatio est testificatio, seu publicum judicium, Jurisdictio verò est potestas in alium, ut Subditum, quam potest dare etiam simplex Sacerdos.

Q. Quotuplex est illa jurisdictio? *R.* 2plex Una *ordinaria*, quæ convenit pastoribus ordinariis, titulo beneficii, vel prælaturæ religiosæ quales sunt: Summus Pontifex, Episcopus, Curatus, & superiores Regularium sibi subditorum: Alia *delegata* quæ habetur per commissionem illius, qui ordinariam habet jurisdictionem.

Q. An per approbationem datur potestas absolvendi? *R.* Non. Nam hæc data jam est in ordinatione, sed solùm dicta potestas quasi ligata, solvitur.

Q. Parochus ſeu alius Sacerdos ab Epiſcopo approbat9, an jam poteſt validè confeſſiones audire in omnibus locis *Diæceſis* illius? R. Extra neceſſitatem non poteſt. Nam ad validam adminiſtrationem Pænitentiæ præter approbationem debet habere inſuper jurisdictionem vel Epiſcopi vel Parochi illius Loci inquo audire vellet. Con: Trid: ſeſſ: 24. C. 7. apud Barb: Lay: Vin: Bon: Mil: March: &c &c. Ad excipiendas Monialium confeſſiones requiritur alia ſpecialis approbatio.

Q. An approbat9 in una Diæceſi cenſetur eſſe approbatus ubiq; R. Nullo modo. *Trid*: ſeſſ*s* 23. Decre: Urb: VIII. Alex: VII. Conſtit: Jnno: X. Lay: Bon: Spor: &c. &c.

Q. An quidam Regulares, ex Privilegio audire poſſunt Confeſſiones, ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi Diæceſani? *R*. Urba: VIII. omnia revocavit, & abrogavit privilegia, quibuſvis Religionibus Societatib9 à Sede Apoſt: conceſſa, audiendi Cõfeſſiones ſæculariũ abſq; R. R. Ordinariorũ approbatiõe.

Q. In quo caſu poteſt ſimplex Sacerdos ſine approbatione abſolvere? *R*. In probabili perículo mortis, poteſt ab omnibus peccatis, Cenſuris & caſibus reſervatis, ſi alius approbatus non eſſet,

De Pænitentia.

Q. Quotuplex eſt Pænitentia? *R*. 2plex. 1. Ut eſt virtus moralis. 2. Ut eſt Sacramentum.

Q. Quid eſt Pænitentia, ut virtus? *R*. Eſt habitus bonũs quo inclinamur ad compenſandam offenſam DEI per opera ſatisfactoria.

Q. Quid eſt Pænitentia ut eſt Sacramentum? R. Eſt Sacramentum, quo relapſis poſt baptiſmum, remittuntur peccata in Eccleſia, certis & externis adhibitis Ceræmoniis à Xto inſtitutis. *Vin*:

Q. Utiquè ante Xtum legitur fuiſſe Pænitentia

tentia? *R.* Fuit ut virtus, non verò ut Sacramentū

Q. An Sacramentum Pænitentiæ est de necessitate salutis? *R.* Est omnibus post baptismum in peccatum mortale lapsis necessarium necessitate medii & præcepti. Quamvis non semper & defacto realiter necessario sit suscipiendum, sed satis sit alterutro modo capi, nempe vel in re, vel in voto, sive desidirio *Com: DD.*

Q. Quis est effectus Sacramenti Pænitentiæ? *R.* Remissio peccatorum, seu justificatio hominis lapsi in mortale post baptismum.

Q. Quid Tridentinum Concil: circa hoc Sacramentum definivit sub Anathemate? *R.* 1. quod Pænitentia fuit semper necessaria ad veniam peccati mortalis. 2. quod nihil prosit non baptizato. 3. quod à Xto institutum sit. 4. quod est verè, ac propriè Sacramentum distinctum à Baptismo. 5. quòd solus Episcopus, & Presbyter habeant potestatem absolvendi & non alii: Et licèt sint improbi non tamen eam perdunt.

Q. Quæ sunt Partes hujus Sacramenti? *R.* quemadmodum omnia Sacrameata perficiuntur rebûs tanquam materia, & verbis tanquam forma, sic etiam hoc sacramentum perficitur rebûs tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ.

Q. Quæ est materia Pænitentiæ? *R.* Remota sunt peccata mortalia utpotè materiaȷ necessaria Venialia verò, sicut & mortalia jam confessa, sunt materia libera, & sufficiens. Peccatum dubium est materia dubia, adeoquè sub conditione absolutio danda.

Proxima sunt tres actus pænitentis: Contritio Confessio & Satisfactio.

Q. Isti tres actus suntnè de Sacramentiȷ Pænitentiæ essenti a? *R.* Contritio & confessio sunt partes essentiales satisfactio verò integralis. De

De Materia remota scil: peccato.

Q. Quæ sunt constitutiva peccati mortalis? R. 1. Ex parte intellectûs: cognitio plena malitiæ in objecto. 2. Ex parte voluntatis: consensus plenus. 3. Ex parte objecti: gravitas, aut præceptum graviter obligans. De Divisione peccatorum dictum est superius.

Q. Unde peccatum dignoscitur esse veniale? R. 1. Ex natura & genere peccati. 2. Ex materiæ levitate. 3. Ex imperfectione actûs, seu non pleno consensu, & advertentia.

Q. Quot modis peccatum veniale potest transire in mortale? R. Ratione finis adjuncti, ut si quis mentiatur ad copulam carnalem extorquendam, 2. Ratione scandali. 3. Ratione periculi incidendi in peccatum mortale. 4. Ratione contemptûs. 5. Ratione conscientiæ erroneæ dum quis faciendo actionem venialem erroneè, & falsò credit esse mortalem, nam in ista erronea, & falsa credulitate voluntas eodem modo se habet, ac si re ipsa foret peccatum mortale.

Q. An plura peccata venialia possunt transire in mortale? R. Non, ita Tridt: Et licet plura venialia non transeunt in mortale, disponunt tamen ad illud faciliùs perpetrandum.

Q. An circumstantias peccatorum tenemur confiteri? R. Aggravantes tenemur ex communi sensu DD. confiteri. Speciem verò mutantes ex Tridt: imò & minuentes propter meliorem informationem Confessariorum.

Q. Quid est circumstantia peccati? R. Est accidens quodd:m actûs humani peccaminosi.

Q. Circumstantia speciem peccati mutans vel aggravans quotuplex est? R. Octo, hoc versu contentæ.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Q. Quid intelligitur per has circumstantias? R. *Quis* non substantiam, sed personæ conditionem delicta patrantis significat, ut si sit conjugatus &c. *Quid* qualitatem objecti, circa quod peccator suam exercet actionem denotat, ut si percussit Clericum, vel Patrem &c. *Ubi* ad locum spectat, ut *vg.* sangvinis effusio in Ecclesia. *Quibus auxiliis* Personæ circumstantiam peccatum adjuvantis explicat, ut mediatore utens ad mæchandum. *Cur* ad finem attinet, ut si quis furetur gladium, ad occidendum.

Quomodo declarat modum, quo peccatum committitur.

Quando Ostendit circumstantiam temporis.

Q. Quæ sunt peccata restitutioni obnoxia? R. Ea quibus violatur justitia, vel ea, quibus pæna restitutionis injuncta est à Summo Pontifice, uti: sunt: usura, contractus illicitus, Simonia, Omissio horarum Canonicarum in beneficiatis.

Q. Quid intelligitur, quando dicitur aliqua peccata, remittuntur directè, aliqua indirectè? R. Directè absolvuntur & remittuntur ea peccata, quæ expressè confessioni subjiciuntur. modò in Pænitente non sit obex id impediens. Indirectè remittuntur peccata omissa in confessione, aut ex oblivione naturali, aut ob aliam justam causam, ob quam liceat dimidiare confessionem *vg.* in periculo mortis, in quo infirmitas non dat tempus exprimendi omnia peccata, vel quando in casibus reservatis, non est facilis recursus ad superiorem, & instat præceptum, seu obligatio communicandi aut celebrandi &c.

q. Un-

Q. Unde poteſt cognoſci notabilis diverſitas ſeu diſtinctio ſpecifica peccatorum? *R*. 1. Peccata diſtingvuntur ſpecie per oppoſitionem diverſis ſpecie virtutibus, ſic ebrietas à furto differt ſpecie, quia illa temperantiæ, hæc juſtitiæ opponitur.

2do. Diſtingvuntur ſpecie ex diverſis ſpecie motivis, ſive finibus intentis, ut mentiri ex fine joci, & mentiri ex intentione alterum graviter decipiendi, ſunt diverſa ſpecie peccata.

3tio. Ex diverſo modo tendendi: ſic habere ſimplicem complacentiam in malo, & habere deſiderium efficax, ſive conſenſum plenum, & perfectum, ſunt ſpecie diverſa peccata.

4to. *R*atione circumſtantiarum tenentium ſe ex parte objecti talium, quæ dicuntur mutare ſpeciem: ſic ſimplex furtum, quod eſt contra juſtitiam tantùm, eſt peccatum diverſum ſpecie à furto Sacrilego, quod eſt etiam contra Religionem.

5to. Peccata deſumunt ſuam ſpecificam differentiam à ſpecie diverſis materialibus objectis *vg*. Odium DEI, & odium proximi ſunt diverſa ſpecie peccata.

Q. Unde colligi poteſt diſtinctio numerica peccatorum? *R*. 1. Ex objectis diverſis numero, non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter, diſtinctis. Unde verba impudica copulam antecedentia unum numero peccatum conſtituunt, quia ad eundem finem referuntur.

2do. Ex interruptione morali actuum, quæ fit per contrariam voluntatem, & propoſitum vel per liberam ceſſationem ab actu. Vel per ceſſationem naturalem *vg*. ſomnum.

De Materia proxima scil: Dolore.

Q. Quid est dolor? *R.* Est detestatio mali commissi, siue peccati propter, aliquem finem, cum proposito in posterum illud vitandi.

Q. Quotuplex est dolor? *R.* 1. *Naturalis* qui elicitur ex motivo naturali *vg.* si quis detestatur furtum à se commissum, ideò, quia illi infamiam, vel pænam infert. 2. *Supernaturalis* est qui elicitur ex motivo supernaturali, si quis *vg.* dolet de peccatis propter amissum cælum, vel propter promeritum infernum.

Q. Quotuplex est dolor supernaturalis? *R.* 2plex 1. *Perfectus* est qui elicitur ex motivo perfecto scil: ex amore Dei, vocatur hic dolor, contritio perfecta. *Imperfectus* est qui ex alio motivo elicitur supernaturali tamen, & vocatur Attritio.

Q. Quando pænitens elicere debet dolorem? R. Ante absolutionem, vel saltem sub ipsa absolutione.

Q. Quando homo tenetur elicere contritionem? *R.* 1. In Articulo mortis, si non adsit Confessarius. 2. In tentatione, & occasione ad peccandum. 3. Sacerdos in necessitate administraturus Sacramentum aliquod in peccato mortali, si non habeat copiam Confessarii.

Q. Quæ sunt requisita ad verum dolorem? R. Verus dolor includere debet propositum amplius non peccandi. 2. Debet se extendere ad omnia mortalia (saltem in confuso) & ad omnes occasiones propinquas peccandi mortaliter.

Q. Quæ possunt esse signa doloris in pænitente? *R. Regin:* dicit: Si pænitentiam magni facit, & vehementer desiderat: Si odio magno pro-

ſequatur peccatum: Si effundat lachrymas: Si ſpontè petat gravem pænitentiam. Si confiteatur ſincerè peccata injurias aliis libenter condonet.

De Confeſſione.

Q. Quid eſt Confeſſio? *R.* Eſt Sacramentalis propriorum peccatorum accuſatio, Sacerdoti facta, ad indulgentiam virtute clavium per abſolutionem obtinendam. *Soto:*

Q. Quid eſt Clavis modo dicta? *R.* Eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi, quã Confeſſarius poteſt dignos recipere, indignos à regno cæleſti excludere.

Q. Quæ *Trid:* circa Confeſſionem decrevit ſub Anathemate? R hæc: 1. quòd confeſſio Sacramentalis fuerit inſtituta, & præcepta à Xto Dño. 2. quòd ſit jure Divino neceſſaria lapſis in peccata mortalia. 3. quòd Confeſſio ſit poſſibilis,. 4. quòd obligati ſimus confiteri omnia mortalia, & circumſtantias mutantes ſpeciem. 5. quod ſine approbatione & juriſdictione ordinaria, vel delegata Sacerdotis: Confeſſio illi facta ſit nulla.

Q. Quas conditiones habere debet Confeſſio legitima? *R.* has:

Sit ſimplex, humilis, Confeſſio pura fidelis.
Atquè frequẽs, nuda, & diſcreta, libens, verecũda,
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Q. Quotupliciter poteſt reddi Confeſſio invalida? *R.* 1. Ex parte Confitentis: ob defectum interioris diſpoſitionis neceſſariæ: Hæc autem eſt dolor de peccatis, propoſitum non peccandi, alienum reſtituendi &c. *Item* ob culpabilem defectum integritatis: ſi quis integrè non confiteretur, ſivè ex induſtria, ſivè ex negligentia.

2do. Ex parte Confessarii: si approbatione caruit. Si intentionem absolvendi non habuit: Si formam non protulit, si surdus, dormiens, aut propter animi divagationem distractus (ita ut non perceperit Confessionem) fuit.

Q. An tenetur pænitens confiteri per interpretem, si idiomatis est ignarus, & is haberi non potest, qui caleat idioma ejus? *R.* Neg: nisi velit ex pietate, & tunc non tenetur confiteri omnia, maximè si timeret aliquod scandalum.

Q. Quotupliciter potest fieri Confessio integra? *R.* 2pliciter Materialiter, & Formaliter. Est integra *Materialiter*, quando aliquis habet 10 peccata & omnia confitetur. Est integra *Formaliter* quando in aliqua necessitate confessis aliquibus, in aliud tempus reservat reliqua.

Q. In quibus casibus licita est Confessio formaliter integra? *R.* 1. In extrema necessitate. 2. Si duo infirmi in eodem lecto jaceant. 3. Si Sacerdos veniens cum viatico, inveniret infirmum per 30. Annos sacrilegas Confessiones peregisse, potest aliquibûs gravioribûs auditîs absolvere, & alio tempore convenire, ne adstantes scandalum habeant. 4. Si vg. vulnerato medicina postea adhiberi non posset. 5. Si parturiens sit fæmina. 6. in naufragio, vel conflictu.

De Satisfactione.

Q. Quid est satisfactio? R. Est compensatio pœnæ temporalis peccatis debitæ post remissionem culpæ, per bona opera à Confessario injuncta, vel voluntariè assumpta.

Q. Quotuplex est Satisfactio? *R.* 1. *Vindicativa* quæ imponitur ad tollendas pænas temporales

tales pro peccato debitas 2. *Medicinalis*, per quam præservatur quis à lapsu, vg. si quis inebriatus multa peccata patrare soleret, posset illi imponi pro pænitentia, ne se inebriet, ut sic præservaretur à peccato. Alia *publica* quæ pro publicis. Alia *privata* quæ pro peccatis privatis ex sola Confessione notis, imponitur.

Q. Quô differt Satisfactio Sacramentalis, à restitutione? *R.* 1. satisfactio est compensatio actionis injuriosæ alicui factæ. Restitutio est redditio: vel compensatio ipsius rei alicui debitæ. Unde restituere est alienum reddere. Satisfacere est injuriam resarcire. 2. Satisfactio est pars pænitentiæ, non verò restitutio. Restitutio non fit in purgatorio, sed solùm in hac vita, Satisfactio verò potest vel hic, *vel* ibi esse.

Q. Quæ requiruntur ad adimplendam satisfactionem? *R.* 1. Ut sit personalis id est non per alium facta. 2. Ut adimpleatur in gratia, alias non haberet effectum, sufficeret tamen ad integritatem Confessionis.

Q. Quid operatur ista satisfactio? *R.* Remissionem pænæ temporalis. Augmentum gratiæ gratum facientis. Auxilium præservans à futuris.

Q. Quot modis potest fieri satisfactio? *R.* 1. Per bona Corporis vg. jejunia, flagellationes, peregrinationes, 2. Per bona animæ vg. orationes, spirituales lectiones, Missas &c. 3. Per bona externa: uti: Eleemosynas.

Q. An Confessarius potest aliquando in se suscipere onus implendæ Pænitentiæ, quod confitenti injungit aut alias illius obligationes? *R.* Potest, ex rationabili causa vg. in infirmitate pæniten-

nitentis, expedit tamen tunc saltem partem aliquam à pænitente expleri.

Q. An Sacerdos potest imponere Pænitentiam omnino liberam faciendam arbitrio pænitentis? *R.* Affir. *Sua: cum 4. aliis.*

Q. Ad quid tenetur pænitens qui oblitus fuit pænitentiæ? *R.* Non tenetur repetere Confessionem, sed solùm confiteri suam oblivionem, & tunc judicio Confessarii imponenda est nova pænitentia juxta præsentem statum pænitentis.

Q. An Confessarius potest mutare pænitentiam impositam à priori Confessario? *R.* Potest, sed in foro solùm Conscientiæ, si id ratio exigit, tenetur iterum pænitens peccata sua confiteri. Pænitens autem propria authoritate non potest mutare etiam, in meliorem, vel majorem.

De Indulgentiis.

Q. Quid est Indulgentia? *R.* Est remissio pænæ temporalis peccatis actualibus, quò ad culpam jam remissis, coram DEO adhuc debitæ, ab habente potestatem, facta per applicationem sufficientis, & condignæ solutionis, ex communi thesauro Ecclesiæ.

Datur in Ecclesia ejusmodi Thesaurus Spiritualis ex meritis Xti, & satisfactionibus Sanctorum constitutus, qui nunquam exhauriri, sed per legitimam Indulgentiarum concessionem dispensari potest.

Q. Indulgentia quomodo dividitur? *R.* Alia est *Plenaria* seu totalis, quâ remittitur tota pæna temporalis, peccatis, quo ad culpam jam remissis debita. 2. Alia *non plenaria* seu partialis, quæ solùm est remissiva partis pænæ temporalis, peccatis, quoad culpam jam remissis, debitæ:

Uti sunt Indulgentiæ certorum Annorum. Item Indulgentiæ, quæ dicuntur septenna, quadragena &c.

Q. Quid intelligitur per Indulgentias centum, vel mille annorum, Item per quadragenam &c? R. sensus hujus locutionis ac hujusmodi Indulgentiarum est, quod per talis indulgentiæ collationem tanta pæna cuipiam remittitur quanta remitteretur virtute illius pænitentiæ, quæ adum formam juris, & consvetudinem Ecclesiæ, olim statuebatur, si ipsa tot diebûs, vel Annîs in hoc mundo perageretur.

Q. Quid est quadragena? R. Est indulgentia quadraginta dierum: id est relaxatio tantæ pænæ, quanta fuisset redempta per pænitentiam 40 dierũ, olim ab Ecclesia pro certis peccatis statutã.

Septenna Est Indulgentia 7. Annorum, seu relaxatio tantæ pænæ, quanta fuisset remissa ob pænitentiam 7. Annorum.

Carena Est Indulgentia utramquè complectens: ita ut sit remissio tantæ pænæ, quanta fuisset redempta per pænitentiam 40. dierum in pane & aqua peractam, & per aliam pænitentiam 7. Annorum subsequentem. *Tann. &c. com:*

Indulgentia alia est *personalis* quæ conceditur alicui personæ determinatæ, vel toti Religioni, aut communitati. Alia *localis* quæ alicui pio loco conceditur, ad ejus devotionem augendam, in ordine ad personas in tali loco orantes. Alia *Realis* quæ conceditur rebus mobilibus vg. Imaginibus Rosariis &c. in ordine ad homines.

Q. Quæ conditiones requiruntur ad consequendam Indulgentiam? R. 1. Ut sit Baptizatus 2. debet omnia implere, quæ assignantur in or-

dine

dine ad assecutionem indulgentiæ. 3. Debet curare statum gratiæ, maximè in ultimo puncto assecutionis.

Q. An si Ecclesia Parochialis antiqua destruatur & dein vel in eodem vel in alio loco de novo sub eodem titulo ædificetur, indulgentia prius habita adhuc ei collata reputari debet? *R.* Affirmat *Lay.* quia moraliter eadem censetur Ecclesia.

Q. An plenaria Indulgentia distingvitur à Iubilæo? *R.* Affir. sed solum accidentaliter, in quantum Iubilæum superaddit potestatem à reservatis, & commutandi vota, licèt non omnia.

De Absolutione.

Q. Quibus verbis dari solet Absolutio in Confessione? *R.* Ex communi praxi Ecclesiæ his verbis. *Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dnũs noster JESUS Xtũs te absolvat & ego Authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti inquantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis In Nomine Patris & Filii. & Spiritûs S. Amen.*

Passio Dñi Nostri JESU Xti merita Beatæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, aut mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Si pænitens fuerit Laicus semper omittitur ly *suspensionis.*

Q. Quæ verba hujus formæ sunt Essentialia? R. Hæc: *Ego te absolvo.* In magno concursu potest omitti *Misereatur* & *Indulgentiam.* In gravi & urgente necessitate hæc forma serviet: *Ego te absolvo ab omnibus Censuris & peccatis.*

For

Forma Absolutionis ab hæresi.

Finita professione fidei pænitens seu Neoconversus facit Confessionem Sacramentalem Sacerdos hâc formâ absolvet: *Misereatur. Indulgentiam. Dominus Noster JESUS Christus te absolvat & ego Authoritate ipsius & SS. Petri & Pauli Apostolorum nec non Sanctissimi Domini Nostri Papæ NN. mihi concessa, nec hactenus revocata, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, quo teneris propter hæresim, in qua vixisti, & incorporo te gremio. S. Matris Ecclesiæ, Communioni fidelium & participationi Sacramentorum ejusdem S. Romanæ Catholicæ, & veræ Apostolicæ Ecclesiæ Deinde eâdem Authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen, Passio &c.*

Forma Absolutionis à Suspensione vel Interdicto extra vel intra Confessionem.

Misereatur. Indulgentiam. Authoritate mihi ab N. tradita: Ego te absolvo à vinculo Suspensionis (vel) Interdicti, quam vel quod, propter tale delictum, vel causam incurristi, seu incurrisse declaratus es. In Nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Forma Dispensationis super Irregularitate.

Juxta præscriptum Ritualis Rom: si Confessario sive in foro Conscientiæ, sive extra data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolverit à peccatis addat sequentia verba: *Et eadem Authoritate dispenso tecum super irregularitate in quam ob causam N. incurristi, & habilem te reddo, & restituo Executioni Ordinum: & officiorum tuorum In Nomine Patris &c.* Si nullum habeat ordinem pænitens, dicatur: *Habilem te reddo ad*

do ad omnes Ordines suscipiendos. vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.

Quodsi necesse sit Titulum beneficii restituere & fructus malè perceptos condonare subjunget: *Et restituo tibi titulum* (seu Titulos si plures habet) *Beneficii & condono tibi fructus malè perceptos In Nomine Patris &c.*

Q. An peccat mortaliter qui sine justa causa in eadem Confessione absolutionem repetit super eadem peccata? *R.* Affir: quia 2da absolutio est irrita effectu novæ materiæ. Si faciat ex scrupulo venialiter, si autem ita sit perplexus, ut æquè malum putet esse non repetere, quàm repetere, poterit nullum esse peccatum *Bon. & Salij.*

Q. Si pænitens statim post Confessionem redeat, & sola venialia afferat, aut circumstantias mortalium non notabiliter aggravantes, repetendane est absolutio? *R.* Negat *Spor:* cum id necesse non sit.

Q. An absolutio potest ab uno pluribus dari simul. *R.* Affir. sic enim absolvuntur multi Milites, ante prælium dicendo: absolvo vos à peccatis. Essetquè talis absolutio non quidem formaliter, sed virtualiter, & æquivalenter multiplex, & essent tot Sacramenta quot homines ponentes aliquam Confessionem, & dolorem *Tamb. &c.*

Q. An absolutio data sub conditione de futuro vg. *absolvo te si restitues*, valida est? *R.* Neg: quia non est in potestate Ministri suspendere effectum Sacramenti. Absolutio tamen de præsenti vg. *Absolvo te si habes intentionem restituendi.* Item absolutio de præterito vg. *Absolvo te si restituisti* valida est. Dū Confessarius absolvit sub conditione, sufficit solùm in mente habere conditionem.

De

De Miniſtro Pœnitentiæ.

Q. Quis eſt Miniſter Pœnitentiæ? R. Eſt Sacerdos habens poteſtatem ordinis, & jurisdictionis, eius Munera ſunt tria: Iudicis, Medici, & Doctoris.

Q. An in aliquo caſu non Sacerdos poteſt adminiſtrare hoc Sacramentum? *R.* Nullo modo poteſt, nequè aliqua neceſſitate urgente, nequè diſpenſatione accedente eſt de Fide definitum in Trid. ſeſ: 14.

Q. Quæ requiruntur ad Sacramentum hoc validè adminiſtrandum? *R.* ſuppoſito vero Sacerdotio, approbatione, & juriſdictione, requiritur 1*mo.* debita intentio adminiſtrandi 2. materia, & forma valida.

Q. Quæ requiruntur ad idem Sacramentum licitè adminiſtrandum? *R.* 1. Ut Confeſſarius ſit in ſtatu gratiæ, excepto neceſſitatis caſu, quo temporis brevitas non patitur ut contritio eliciatur. 2. Ut adminiſtrando, non admittat aliquid graviter repugnans decori; quem ſeu natura rei, ſeu Eccleſiæ præceptum requirit.

Q. Quæ requiruntur ad illud fructuoſè adminiſtrandum? *R.* Ut pænitentes à Confeſſario debitè interrogentur, inſtruantur, diſponantur. Ut judicium rectum de peccatis, & eorum circumſtantiis feratur, conveniens pænitentia præſcribatur, Media item convenientia peccatis inpoſterum vitandis proponantur.

Q. Quibus virtutibus maximè ſtudere debet Confeſſarius? *R.* Manſvetudini, patientiæ & charitati. Debet eſſe:

Con-

Confessor prudens, affabilis, atquè benignus,
Dulcis, discretus, pius, atquè fidelis.

Q. Quæ requiruntur conditiones in Confessario? *R.* 6. Potestas, Scientia, prudentia, probitas, sigillum, & fortitudo.

Q. Quotuplex potestas necessaria est? *R.* 3plex. 1. Ordinis, quæ est: facultas cuivis Sacerdoti concessa ad peccata per confessionem legitimam explicata, remittenda.

2. *Iurisdictionis* Estquè: Authoritas quædam in alium, ut subditum, in quem, in foro interno accipit potestatem distinctam à potestate Ordinis.

3. Potestas *Exercitii* seu usûs: quæ est facultas proximè expedita ad audiendas Confessiones atquè omni vinculô censurarum, & irregularitatis carens.

Q. Quotuplex scientia in Confessario necessaria est: *R.* 3plex Scientia potestatis, juris, & facti.

Q. Quid ad scientiam potestatis requiritur? *R.* 1. Ut sciat quas personas absolvere possit, & à quibus peccatis. 2. Ut sciat, a quibus censuris absolvere possit. 3. Ut sciat, quam potestatem dispensandi, aut commutandi habeat, sive in votis, sive in casibus Matrimonialibus, sivè denique in ipsa irregularitate.

Q. Quid ad scientiam juris pertinet? *R.* Per jus hoc loco non tam activum, quam passivum intelligitur scil: obligatio quam habet Confessarius ad varia officia in Confessione exercenda. Hinc pertinet ut sciat: an, & quomodo obligetur in pænitente ad dolorem procurandum, ad restitutionis, & alia onera imponenda, ad errores in Confessione audienda admissos, supplendos,

dos, ad servandum sigillum. Ad eandem scientiam pertinet, ut sciat ordinarios modos peccandi contra legem DEI, Ecclesiæ, & contra specialem statum, & officium pœnitentis.

Q. Quæ requiruntur ad scientiam facti? *R.* 1. Ut sciat, quæ nam peccata ex genere suo sunt mortalia, & quæ venialia. 2. quæ circumstantiæ aggravant peccatum, vel novam malitiæ speciem superaddunt. 3. quæ circumstantiæ ex mortali veniale, & vicissim faciunt. 4. quomodo cognosci possit numerica distinctio peccatorum.

Q. Quid facere debet Confessarius cum accidit casus difficilis in Confessione, quem ipse nequit resolvere? *R.* Debet tunc Confessarius remittere pœnitentem ad aliud tempus, ut interim consulat libros, vel doctos viros, & sic postea, pænitentem redeuntem absolvet resoluto casu. *Syl:*

Q. Quid si Confessarius restitutionem pænitenti non imposuit cum obligaretur? *R.* Peccavit, officium suum indebitè faciendo, sed non tenetur ad restitutionem, quia non peccavit contra justitiam, respectu patientis damnum. Si verò consuluit aut induxit pænitentem ad non restituendum monere illum tenetur, si sine scandalo poterit, ut restituat, quodsi Pænitens nolit, aut ob Confessarii moram fuerit factus impotens, tenetur de damno Sacerdos. *Manig:*

Q. Quid faciendum est Confessario, qui evidenter scit Pænitentem tale peccatum commisisse, & propterea interrogat, nihilominus pænitens negat? *R.* Si scit ex aliorum relatione, tenetur pænitenti credere. Si ipse Confessarius vidit, neque probabiliter existimat illum alteri esse confessum, sed deprehendit eum evidenter mentiri,

non tenetur ſtare dictis ejus, ſed poteſt uti ſuâ ſcientiâ ad convincendum eum. *Suar:*

Q. An ſi vg. Parochus ex Confeſſione cognoſcat Eccleſiam per ſeminis effuſionem maculatam eſſe, abſtinere debet à celebratione rei Divinæ? *R.* Neg: nam ut Eccleſia polluta cenſeatur, delictum debet eſſe publicum, vel per ſententiam judicis, vel per publicam famam, vel per Confeſſionem publicam partium *Facund: &c.*

Q. An tenetur pænitens deferre, ſeu denuntiare Confeſſarium, ſi ab eo ad turpia ſollicitetur? *R.* Affir: & quidem ſub gravi, & ſub excommunicatione.

Q. Qando debet Confeſſarius obligare pænitentem ad alium ritè denuntiandum de aliquo crimine ex Confeſſione cognito? *R.* 1. Obligandus ad denuntiandum eſt pænitens, ſi etiam extra Confeſſionem tenetur denuntiare alterius crimen vg. hæreſim, vel conſpirationem &c. Si nolit denuntiare incapax eſt abſolutionis.

2. Si intellexerit Confeſſarius in Confeſſione malum valde grave unitertio, vel alicui Communitati obventurum, ſi non fiat à pænitente denuntiatio illi, qui poteſt impedire citra damnum multo majus quod pænitens denuntiando incurreret.

3, Si ipſe pænitens non poſſit aliter quàm denuntiando evitare periculum proximum gravis peccati vg. ut poteſtatem habens non permittat talem perſonam ad ſe accedere.

4. In caſibus reſervatis Confeſſarius debet remittere pænitentem ad manifeſtandum ſeipſum ſuperiori in Confeſſione.

In his caſibus poteſt imo aliquando tenetur ipſe

ipse Confessarius vices pænitentis supplere, si charitas svaserit. *Lay. &c.*

Q. Quæ explicare debet Confessarius & maxime Parochus illis præcipuè qui primò confitentur. *R.* Ex P. La. Croix l. 2. Tr. 1. de Fide & quidem ex SS. DD. & probatis Auth. desumpta sunt hæc: idq; præter credenda necessitate medii & præcepti. 1. Animam hominis esse immortalem. 2. Deum nobis dare bona supernaturalia & remittere peccata ex meritis Passionis Christi 3. Quod Gratia Dei sit nobis omnino necessaria ad consequendam salutem animæ. 4. Quod in Sacramentis Deus nobis infundit Gratiam, promisitq; æternam beatitudinem ex meritis Christi.. 5. Quod Deus sit unicus noster finis. Ratio autem ibi sæpiùs insinuatur, quòd nisi ista credantur, & sperentur, quia Deus revelavit & promisit, anima difficulter excitaretur ad veram fiduciam de remissione peccatorum, adeoq; posset hoc Sacramentum exponi nullitati, cum tamen in administratione Sacramentorum Sacerdos debeat sequi tutiora jux: prop. damn. 1. ab Innoc. XI. Additurq; ibidem Nrō 29. Gravem esse obligationem Parochorum ut in fide, spe, charitate, erudiant subditos.

De Pænitente.

Q. Poteſtne vg. Parochus audire suum subditum, tàm extra Parochiam, quàm extra propriam Diæcesim? *R.* Affir: *Barto: &c.*

Q. An Sacerdos potest absolvere pænitentem, quem videt post fluvium distantem 30. passus, illumquè non audit, sed alii illi dicunt petere absolutionem? *R.* Affir: quia cùm illum videat verificatur illud *Ego te absolvo.* Item dicendum est

si pænitens sit in aliquo cubiculo, & illum Confessarius non videat, sed vocem audiat.

Q. An potest dari absolutio moribundo, qui nullum dedit signum petitionis Confessionis, vel doloris? *R.* potest dari sub conditione, dum modò solitus fuerit aliàs Christianô modô vivere, & Sacramenta frequentáre. *Tamb. Hom. mobi &c.*

Q. Si Sacerdos inveniret hominem morientem ignotum sine sensu, poteritne eum absolvere conditionaliter? *R.* Magna est controversia inter DD. Affirmativam sententiam magis piam puto, sed negativam tenent ferè omnes. *Sot: suar &c.*

Q. An potest, aut debet Confessarius permìttere, aut svadere, ut reus juridicè propter semiplenam probationē, vel indicia æquipolentia interrogatus de crimine, illud cum æquivocatione neget? *R.* Potest ipsum permittere, sed non tenetur svadere *Fill: Reginal: &c.*

Q. An si reus vi tormentorum fassus sit crimen quod non commisit, debet Parochus eum ad revocationē adstringere? *R.* Negat *Tamb. Syl. Less. &c.* eò quòd reus non teneatur cum tanto cruciatu vitam tueri.

Q. An, si reus interrogat, num socios Criminis sine peccato prodere possit, Cnnfessarius affirmativè respondere debeat? *R* Negat *Dicast:* Si crimen non sit exceptum. Æquè probabiliter affirmativam tenet Tan: & Henrique eô quòd tali modo ad justitiæ defensionem, & Reipublicæ incolumitatem cooperari videatur.

Q. An, si quærat reus, num possit licitè carcerem effringere Confessarius id permittere potest? *R.* Confessarius potest tunc dicere: sunt, quidem Authores qui id affirmant, verum ego relinquo arbitrio tuo. *Lobrix*

Q. An, si cognati quærant, num licitè instrumenta subministrare captivo cognato aut aliò modô ad fugam cooperare possint, Confessarius affirmativè respondere debet? *R.* affirmat quidem Dicast. Si penè grave sit periculum, verùm rectiûs faciet, si responderit, sicut in priori casu.

Q. An, in casu, quo aliqui in Confessarium conspirâssent, ut de nocte dormientem occiderent, aut venenum in vino consecrando miscuissent, & Sacerdos ex unius illorum Confessione id audivisset absquè fractione sigilli, sine licentià pænitentis fugere, aut à consecratione abstinere? R. Negant quidem aliqui, sed probabiliùs licitum est Confessario sibi consulere declinando insidias, licèt sciat socios conspirationis inde suspicaturos peccatum socii confessum illi esse ita Lay: Syl: *Henr:* &c,

Q. Quid agere debet Confessarius, cum eo qui gravia minatur nisi eum absolvat? *R.* Talis omnino indispositus est, non est licitum ob timorem mortis absolutionem conferre indigno Benignè ergò eum moneat talem absolutionem ei non profuturam, & omnibus modis iram illius lenire tenetur.

De Sigillo.

Q. Quid est sigillum? *R*, Est debitum, seu obligatio tacendi ea, quæ audita sunt in Confessione Sacramentali.

Q. Quo præcepto obligatur Confessarius ad servandum sigillum Confessionis? *R.* 3plici 1: *Naturali* quia de jure naturæ est servare secretum sibi commissum. 2. *Divino*. 3, Humano, seu Ecclesiastico.

Q. An sigillum Confessionis obligat etiamsi non secuta absolutione? *R.* Affirmativè, nec potest revelari, nisi ex consensu pænitentis Cō: DD.

Q. Qui obligatur ad servandum sigillum? *R.* Non solum Confessarius, sed omnis ille, qui licitè vel illicitè mediatè vel imediatè audit aliquod peccatum, sive sit interpres, sive casu audierit. Et hæc obligatio etiā durat post mortē pænitentis.

Q. Quæ cadunt sub sigillum? *R.* 1. omnia peccata pænitentis tam ficta, quam vera cum intentione confitendi manifestata, etiam complicis detecti. 2. Pænitentia imposita, si gravis sit. 3. Virtutes, aut defectus naturales pænitentis, aut corporis occulta vitia, aut scrupuli, quoties hæc alioquin nota non sunt, & eorum manifestatio creditur ingrata pænitenti futura. 4. Omnis ea actio, quæ ex notitia peccati cum periculo directè, vel indirecte revelationis procedit. 5. Factum quodcunquè ruborem, vel molestiam pænitenti creans. si advertat id ex notitia Confessionis procedere ita *Fagun: Lag: & alii Com:*

Q. Licetne Confessario loqui cum pænitente extra Confessionem de ejus peccatis auditis in Confessione? *R.* Peracto judicio pænitentiali, & absoluta Confessione, ablatam esse facultatem Confessario agendi cum Confesso de peccatis confessis, aut ea illi obtrudere, nisi fieret istud ex consensu pænitentis expresso & formali.

Q. Licetne duobus Confessariis, qui pænitentem de eisdem peccatis se accusantem audiverunt, adinvicem colloqui de auditis in Confessione *R.* Non, quia uterquè sigillô obstrictus est.

Q. Quomodò Confessarius respondere debet si interrogatur de peccato pænitentis? *R.* Non debet tunc

bet tunc tergiversari, sic, ut pænitentem reddat suspectum, sed respondere debet, etiam cum juramento, si opus sit, se nihil scire de peccato illo, scil: ut hominem privatum, cui id revelare liceat.

De Casibus reservatis.

Q. Quid est reservatio? *R.* Est restrictio jurisdictionis in Confessario ne pænitentes in certis casibus, seu à certis peccatis absolvere possit.

Q. Quis finis, quòd aliqua peccata reservantur? *R.* Eo fine id fit, ut subditi intelligentes hujus aut illius sceleris absolutionem difficulter posse obtineri, magis exinde illius gravitatem apprehendant, ac ab eo committendo deterreantur.

Q. *Quomodo* dividuntur casus reservati? *R.* In Papales, & Episcopales, Item alii sunt reservati cum annexa censura, alii sine ea, sed solùm simpliciter sunt reservati.

Q. Qui casus sunt reservati Pontifici? *R.* Alii sunt, qui referuntur in Bulla Cænæ, quæ, inde sic nuncupatur, quod singulis annis Feria 5ta Magna seu in Cæna Dñi soleat promulgari: Alii sunt, qui colliguntur ex aliis Bullis Pontificiis.

Q. Qui casus sunt reservati Episcopis? *R.* Non conveniunt DD. qui casus seu jure, seu consvetudine Episcopis reservantur. Proinde inspici debent Diæcesium consvetudines, & statuta. Synodalia.

Q. Quæ observanda sunt à Confessario circa casus reservatos? *R.* 1. Sufficiens cognitio. quâ saltem illos casus qui frequentiùs incurri solent, in memoria habere studeat. 2. Prudens ponderatio, quâ omnes circumstantias diligenter examinet, an non aliqua ex illis reservationem tol-

lat. 3.

lat. 3. Cauta absolutio, ut scil: nisi gravis aliqua causa id exigere videatur, ab eo non absolvat.

Q. Estne necesse ad incurrendam reservationem, ut pænitens sciverit talẽ peccatum esse reservatum? R. Negativè, quia reservatio non habet rationem pænæ, sed solum restrictionis jurisdictionis in Confessario. Hinc si quis commisit peccatum reservatum in sua Diæcesi, & accedit ad Confessarium in alia Diæcesi, in qua reservatũ non est, rectè absolvitur: nisi forte ad hunc accedat in fraudem reservationis, tunc enim ratione malæ dispositionis absolvi nequit.

Q. Quid agendum Confessario dubitanti num aliquis casus reservatus sit? *R.* Non debet absolvere, nisi prius sibi constet vel ex lectione librorum vel ex consilio peritorum casum non esse reservatum.

Q. Si quis perpetraverit delictum in Diæc: ubi non est reservatum an possit, à Confessario absolvi in Diæc: ubi est reservatum? *R.* Neg; ex defectu jurisdictionis quam non habet Confessarius in reservata, quia reservatio non solum est pæna delinqventis, sed etiam limitatio jurisdictionis absolventis *Fag:* &c.

Q. Qui confessus est Sacerdoti habenti potestatem in reservata, & sine sua culpa oblitus est exponere peccatum aliquod reservatum, an potest postea illud confiteri Sacerdoti non habenti potestatem in reservata & ab eo valide absolvi? *R.* Affir. quia in priori absolutione sublata est reservatio per Sacerdotem qui potuit illam auferre: *Præpot: Arsd: cum 4. aliis.*

Q. Absolutus in articulo mortis, vel stante alio impedimento per Sacerdotem non habentem facul-

facultatem abſolvendi à caſu reſervato non habente annexam excommunicationem, an teneretur comparere coram Superiore ſi convaleſcat? *R.* Non. *D. Ant: Syl: Arm. &c.* Secùs ſi caſui reſervato fuit annexa Excommunicatio, nam tunc teneretur comparere coram ſuperiore habente facultatem in reſervata, alias iterum incideret in excommunicationem.

Q. Cur adire deberet Superiorem ob excommunicationem, non autem ob ſimplicem caſum reſervatum? *R.* Debet ob excommunicationem adire ſuperiorem, non ut iterùm abſolvatur, cum fuerit verè abſolutus, ſed ut obediat mandatis Eccleſiæ; Ob caſum verò ſimpliciter reſervatum nihil præcipitur, quia in articulo mortis ceſſat omnis reſervatio. *Trid: Seſſ:* 14.

Q. Mortuô vel amotô Epiſcopô ab Epiſcopatu poteſtne quivis Confeſſarius abſolvere à caſibus, qui erant Epiſcopo reſervati? *R.* quando caſus ſunt reſervati à jure, & conſvetudine, vel in Conſtitutionibus Synodalibus inſerti reperiuntur, tunc eorum reſervatio cum ſit à jure vim & firmitatem retinebit etiam poſt mortem Epiſcopi. Proinde abſolutio petenda eſt à Succeſſore, vel à Capitulo Sede vacante *Piaſec.*

Q. Quam pænam incurrit abſolvens à caſibus Epiſcopo reſervatis ſeclusô periculô mortis? *R.* non ſolum peccat mortaliter & nulla eſt abſolutio, ſed inſuper incidit in Excomm: ac incurrit in privationem omnium Beneficiorum inhabilitatemq; audiendi Confeſſiones ipsô factô abſq; ulla alia declaratione ſuper quibus à nemine quàm à Rom: Pontif: abſolvi poteſt. Ex Decr:

Clem:

Clem: VIII. Aõ 1601 Et Pauli V. 1617 Idem dicendum de absolvente à reservatis Pontifici.

Q. Ad incurrendas dictas pænas an satis erit absolvere à reservatis absq; facultate? *R.* Non sed insuper debet esse præsumptio sive contumacia in absolvente. Unde absolvens sub spe ratihabitionis vel ex inconsideratione & ignorantia non tamen crassa aut affectata non incideret in Excomm: Dian: cum comm:

Q. Pænitens incidit in reservatum cum annexa censura & non potest sine nota infamiæ & gravi scandalo adire superiorem aut non se communicare illa die, potestne Confessarius simplex illum absolvere? *R.* Potest directè à non reservatis & indirectè à reservatis cum onere comparendi per se vel per ipsum Confessarium coram superiore, & eum permittere ut communicet Comm. DD. apud. Bon:

De Conscientia.

Q. Quid est Conscientia? *R.* Est actus intellectûs practici judicantis aliquid hic & nunc agendum esse, vel fuisse tanquam bonum honestum, aut fugiendum esse vel fuisse, tanquam turpe, & inhonestum. *Lay.*

Q. Quomodo dividitur conscientia? *R.* In rectam, Erroneam, dubiam probabilem & scrupulosam.

Q. Quid est *Conscientia recta?* *R.* est dictamen verum intellectûs dictans absquè ulla formidine de opposito, quod faciendum est, esse bonum, vel malum.

Q. An quilibet semper tenetur sequi dictamen suæ conscientiæ, quamdiu re examinatâ nulla in oppositum dubitandi ratio occurrit? *R.* Affir: Si

homo

homo ſine ſua culpa abſolutè judicet hic & nunc ſe obligari ſub peccato ad aliquid agendum, vel omittendum, actu peccabit, ſi ſe iſti judicio non conformet & non peccabit, ſi ſe conformet. Quamvis aliàs à parte rei contingeret actionem, aut omiſſionem illam aliquâ lege eſſe prohibitam.

Hinc fit ut putans ſe omnino obligari ad jejunium die Dominico, teneatur à cibis vetitis abſtinere. Et contra judicans non eſſe abſtinendum à carnibus die veneris, non peccat ſi carnibus veſcatur, quamdiu non poteſt ab illo errore ſe expedire.

Q. Quid eſt conſcientia Erronea? *R.* Eſt illa, quæ dictat aliquid eſſe faciendũ, quod nõ faciendũ re vera tale nõ eſt abſquè motivo probabili. Conſcientia erronea vincibilis, & invincibilis coincidit cum ignorantia taliter dicta de qua vide ſuperius.

Q. Ad hoc, ut quis contra conſcientiam erroneam agendo peccet, quid requiritur? *R.* Ut actio ipſius ſit libera. Hinc ſi quis in carcere vg. conſtitutus putet ſe peccare Miſſam non audiendo, non ideo peccat.

Conſcientia invincibiliter errans præcipiens aliquid, ut agendum aut fugiendum, non ſolùm obligat negativè, ne ſcil: contra eam operemur ſed etiam poſitivè, ut ipſam ſequamur. Sic vg. putans ſe aliquis invincibiliter teneri mentiri, ut proximum innocentem liberet à morte, ſi mentitur, non peccat, ſi omittit mendacium, peccat contra virtutem miſericordiæ.

Q. Quid eſt conſcientia Dubia? *R.* Illa eſt: quæ neutri parti determinatum præſtat aſſenſum, ſed anceps manet inter utramquè vg An hoc ſit licitum an non? peccatum, necne?

q. quo-

Q. Quotuplex eſt conſcientia dubia? R. 1. Dubiū dividitur in practicum & ſpeculativum ſic & conſcientia dividitur in ſpeculativè & practicè dubiam. *Dubium ſpeculativum* eſt quando dubitatur de aliquo, non quarendo directè de praxi *vg.* utrum hâc die ſit jejunium. *Practicum* in quo directè quæritur de ipſa praxi, *vg.* utrum hodie tenear jejunare. Hoc ipſum applicari poteſt conſcientiæ practicè, vel ſpeculativè dubiæ.

2. Dubium aliud eſt poſitivum, aliud negativum Similiter conſcientia alia eſt poſitivè, alia negativè dubia. Dubium *poſitivum* tunc dicitur quando quis habet pro utraquè parte judicium æquè probabile: quod aliquid ſit. *Negativum* tunc dicitur, quando quis habet pro utraquè parte motivum inſufficiens, quod aliquid ſit, vel etiam non ſit, ſic ruſticus dubitat an hodie debeat jejunare ex ſola ignorantia, quâ neſcit an ſit vel non ſit præceptum.

3. Aliud eſt Dubium *juris* quando dubitatur de lege, aut de obligatione ejus. Aliud *Facti* quando dubitatur an aliquid factum ſit *vg.* an votum emiſi?

Q An licitum eſt cum conſcientia ſpeculativè dubia operari? R. Licitum; ſi practicè judicet opus illud eſſe hic, & nunc ſibi licitum: quia conſcientia practica eſt regula proxima. *vg.* ſi dubitem an hodie ſit jejunium, & poſt adhibitam diligentiam reſcire non poſſum, potero me practicè reſolvere, quod non tenear hodie jejunare, quia eſt poſſeſſio pro mea libertate.

Q. An cum conſcientia practicè dubia licet operari? R. Non quia ſe exponeret periculo peccandi.

candi. Hinc Petrus dubitans, an licitum sit spuere in templo, spuere licitè non potest. Debet ergo suam actionem suspendere, donec re-maturè examinatâ, dubium prudenter deponat, formando judicium determinatum de honestate actionis.

Q. Qui dubitat de aliqua lege, an sit lata, vel de voto an sit emissum, utrum resolvere se potest tali lege aut voto non obligari? *R.* Affir: At si constet legem aut votum existere, sed tantum dubitetur, an illis satisfecerit, ad satisfaciendum obligatur, quia tali casu lex, & votum est in possessione. Hinc Sacerdos plenè dubitans an horas legerit tenetur eas persolvere.

Q. Qui certus est de lege lata, sed dubius est, an casus hic & nunc occurrens lege illa comprehendatur, an rectè resolvit se quo ad illum casum non obligari? *R.* Affir: quia præsumptio, quo ad hoc punctum est pro libertate vg. præceptum est die festo abstinere ab opere servili, dubium manet, an pingere sit opus servile, non teneor à pingendo abstinere.

Si autem constet casum lege contineri, sed dubium sit, an illi satisfactum, teneor satisfacere. Hinc certus de peccato, dubius de confessione, ad confitendum teneor, quia lex confitendi est in possessione.

Q. Qui dubius est post diligens examen, an aliquid alteri debeat, utrum tenetur solvere? R. Neg: quia iniqua esset solutio certa pro debito incerto *Arsde.* P. 2, Verùm qui certus est de debito, tantùm dubius est, an persolverit, à solutione non eximitur *Suar. Vasq;* &c. Eo enim casu pro debito stat possessio.

Q. Qui dubitat de ætate, doctrina, aut alia ſimili conditione requiſita ad Ordinem Sacrum, aut aliquod officium, an poteſt licitè Ordinem, vel Officium poſtulare? R. Neg: quia lex requirens talem conditionem, eſt in poſſeſſione, & conditio non præſumitur poſtulanti ineſſe, niſi id ab eo probetur, quam dubius probare non poteſt. *Aſtde.*

Q. An obeſt bonæ fidei poſſeſſiori dubium ſuperveniens? R. Non, ſi *vg.* emerem librum bonâ fide, & poſtea dubitarem, an fuerit Petro ablatus, retinere poſſum, ſi nihil certius occurrat.

De Conſcientia probabili & ſcrupuloſa.

Q. Quid eſt conſcientia probabilis, ſeu opinàtiva? R. Eſt judicium practicum intellectûs, quô quis, ex gravi, licèt non penitus certo fundamento, aſſentit, & adhæret uni parti determinatè, ſed cum formidine de oppoſito.

Q. Quid eſt opinio probabilis? R. Illa eſt: quæ gravi nititur fundamento, licèt non penitus certo, ſimulquè nullam contra ſe habet rationem convincentem.

Q. An licet ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliori, & tutiori? R. Licet, ſi non agatur de irreverentià, & invaliditate Sacramenti, damno proximi, & ſi ſit ſententia in praxi probabilis *Bon: &c.*

Q. Quid eſt conſcientia ſcrupuloſa, ſeu, ſcrupulus? R. Eſt inanis apprehenſio & hic ortus timor, anxietas alicubi eſſe peccatum, ubi non eſt, ſæpè oritur ex injuſtis & levibus motivis, & cum magna formidine alterius partis, adeoquè torquet animam.

Q. Quæ ſunt ſigna conſcientiæ ſcrupuloſæ? R. 1. ſi peritorum, aut prudentis Confeſſarii judicio non acquieſcat, ſed adhuc maneat anxius. 2. Inconſtantia, in mutando frequenter de eadem re judicium. 3. Multiplicitas reflexionum impertinentium circa innumeras rei circumſtantias. &c. &c.

Q. Quæ ſunt remedia conſcientiæ ſcrupuloſæ? *R.* 1. Eligere Confeſſarium peritum doctum & ejus conſilio, & judicio firmiter acquieſcere, proprio judicio poſtpoſito. 2. Fugere otium, & vagas cogitationes, quia ſunt ſcrupulorum fermentum. 3. Nil judicare mortale niſi, id certo ſciat.

Q. Quæ ſunt privilegia ſcrupuloſi? *R.* 1. Quòd non teneatur in examinando conſcientiam ad diligentiam tantam, quantam alii. 2. quòd non teneatur confiteri dubia, ſed quæ certo jurare poteſt, quod commiſerit, ac conſenſerit, & non ſit confeſſus. &c.

Q. An eſt licitum operari contra conſcientiam Scrupuloſã? *R.* Affir: quia cõſciẽtia ſcrupuloſa nititur ſolùm levibus rationibus, ac proinde ejus judicium eſt imperfectum, ac imprudens, ergo licitè ipſi reſiſtitur.

EXAMEN.

Pro Inſtitutione ad Beneficium curatum.

De Parocho.

Q. Quid eſt Parochus? *R.* Eſt Rector principalis Parochiæ. *Parochia* propriè eſt: locus in quo degit populus, alicui Eccleſiæ deputatus, ac certis finibus limitatus *Belar.*

Q. Quid eſt Vicarius? *R.* Eſt Sacerdos qui beneficio alicui, alieno nomine præeſt. Horum alii ſunt *Perpetui* qui ad præſentationem Patroni per Epiſcopum ſuum perpetuô titulô inſtituuntur. Alij ſunt *Temporales* qui ad beneplacitum Prælatorum, vel Rectorum exponuntur vel deponuntur.

Q. Quæ eſt differentia inter hos Vicarios? *R.* 1. Vicarii perpetui cũ ſint intitulati, ſeu inſtituti nec à Rectore, nec à ſucceſſore illius amoveri poſſunt ab Eccleſia, aut portione ſua fraudari, niſi ob crimen, vel aliam juſtam cauſam per ſententiam competentis judicis id fiat. *Temporales* verò hoc ipſo quod titulum non habent, ad nutum amoveri poſſunt.

2do Vicarii perpetui ſunt veri beneficiati, utpotè qui jus reale, ac verum titulum Canonicum Beneficii acquirunt, ſecùs dicendum de temporalibus.

3tio Vicarii perpetui, ſicut tenentur ad onera Parochorum, aliaſquè obligationes Curæ animarum annexas, ita etiam eorundem commodis gaudent, adeoq; quo ad omnia Rectoribus Parochialibus in Jure æquiparantur, quæ tamen privilegia & onera minimè Vicariis temporalibus conveniunt.

Q. Quid requiritur in eo qui inſtitui vult ad munus Parochiale *R.* Probitas, ætatis maturitas, quæ ſcil: 25 annum attigerit, ſufficiens literatura, talis ſcil: quæ ad fidem, & mores pertingat, & ad ſalutarem doctrinam Sacramentorumquè adminiſtrationem ſatis ſit.

Q. Quod munus & obligatio Parochi? *R.* Paſcere oves Xti doctrinâ, exemplô, & Sacramentîs.

q. quæ

Q. Quæ ætas requiritur ad Beneficium simplex obtinendum? *R.* sufficit annus 14. nisi in fundatione cui per Concilium non derogatur sit ætas major, vel minor præscripta. Trid: ses: 23. Soli Papæ competit dispensare in ætate ad obtinendum beneficium,

Q. Qualis Ordo requiritur in Parocho? *R.* Jure communi ad curam animarum saltem subdiaconatus. Potest Episcopus dispensare, ut aliquis in Min: Ord: tantum constitutus ad Beneficium Parochiale promoveri possit, modò sit idoneus, ut intra annum possit suscipere requisitum Ordinem si id non faceret ipso jure esset privatus, ita ut in illa vocatione nullatenùs illud beneficium ei iteratò conferrì possit Tit: 1. L. 3. Decr:

Q. Si quis legitimè impeditus est, quo minùs intra annum suscipere S. Ordines possit, an adhuc beneficio privetur? *R.* Non. Com. DD. quia tempus jure præfixum, non currit legitimè impedito.

De obligatione Parochi.

Q. Quibûs titulîs tenetur Parochus administrare Sacramenta? *R.* 1. Titulô obedientiæ, ut pareat præcepto Divino. Ecclesiastico. & Naturali, à quibus adstringitur ad suum Ministerium implendum, cujus præcipua pars est Sacramentorum administratio. 2. Titulo justitiæ, ut serviat in spiritualibus suæ plebi, à qua ideo corporaliter alitur. 3. Tituló charitatis, ut cóòperetur animarum Saluti.

Q. An Obligatur Parochus semper administrare Sacramenta petentibus? *R.* 1. Citra Dubium

est quod

eſt, quod Sacramenta mortuorum in caſu neceſſitatis omninò obligatur miniſtrare. *Rotarius* docet extra caſum neceſſitatis, ſi quis bene vivens petat aliquoties] in Menſe Pænitentiam, & Communionem, Parochum ſub læthali teneri miniſtrare, quia non ſolùm tenetur miniſtrare neceſſaria ad ſalutem, ſed etiam utilia, quando à Parochianis petuntur, inter hæc autem meritò cenſeri debet frequens acceſſus ad Sacramenta, recipienda ita Paſſev: docet N. 9. Innodari Parochum læthali culpâ, qui non negat quidem Sacramenta, ſed reddit adeo ſe difficilem, & aſperum ſi petatur, ut amoveat à frequenti receptione Sacramentorum ſuos ſubditos.

Q. Quibus diebus tenetur Parochus Miſſam celebrare? *R.* *Præciſâ* aliâ obligatione tenetur per ſe vel per alium ſingulîs diebûs, quibûs populus tenetur Miſſam audire, ſed populus tenetur Miſſã audire ſingulîs Dominicîs & diebûs Feſtîs de præcepto ergo iisque diebus tenetur fructũ Miſſæ applicare ovibus ſuis refert: *Paſq;* quater id decreviſſe S. Congr. nec protunc Eleemoſynã manualem recipere poteſt S. Card: Congr: & 1629. 1. ſept:

Q. Quæ eſt obligatio Parochi tempore peſtis? *R.* Poteſt ſe Parochus cum licentia Epiſcopi ſubducere tempore peſtis, ſi ſubſtituat alium idoneum, æquè profuturum, & ſubſiſtat in loco, in] quo poſſit gerere providentiam pro grege ſuo. Si autem ſubſtituere non poſſit idoneum non poteſt uti privilegio Tridentini, emanendi ad bimeſtre, nequè poteſt reſignare beneficium tutâ conſcientiâ, eſt enim conductus pro tali neceſſitate, ſicut Miles pro futuro prælio. *Com: DC.*

Q. In quibus caſibus Sacerdos non curatus, vel Re-

vel Religioſus cujuſcunq; Ordinis tenetur tempore peſtis miniſtrare Sacramenta, etiam cum periculo propriæ vitæ? *R.* 1. Si proprius Parochus fugiat, vel peſte laboret, moriatur, tunc quicunquè Sacerdos ex lege charitatis, & legalis juſtitiæ tenetur peſte infectis Sacramenta miniſtrare.

2do. Si ad hoc munus protunc ab Epiſcopo deputetur, vel ab eodem cogatur, cui tunc vel maximé quilq; *Sacerdos*, etiam *Regularis*, qui tunc magis tenetur Epiſcopum, quam ſuum ſuperiorem, audire, debet obedire. ut promiſit in ſui Ordinatione *Chap: Caj: Sol: &c.*

Q. Sacerdotes tempore peſtis adminiſtrantes Sacramenta, & exponentes ſe periculo vitæ, quam mercedem habent? *R.* Maximam: in hac vita ad meliora ſolent promoveri beneficia, honores, & dignitates. In altera verò magnum expectant in cælis præmium, quia habentur ut Martyres. In Martyrologio Rom: à Baronio edito legitur: *Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum & aliorum, qui tempore Valeriani. Imp: cùm peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbô laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiêre, quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſvevit. &c.*

Q. An plenè officio ſuo ſatisfacit Parochus, qui poſtquam munivit moribundum Sacramentis, eum deſerit, nec ulterius viſitat? *R.* Negat Gob: *& Steph. &c.* Quia quo vicinior eſt mors, eò magis ſalutis periculum ingruit à dæmone infeſtante, & tanto major eſt corporis ac animi infirmitas, ergo tunc maximè tenetur ex Officio Parochus ſaluti ſuorum providere.

Q. An, si Parochus occultè excommunicationem aut suspensionem incurrerit possit subditorum justa de causa confiteri petentium, confessiones audire? *R.* Affirmat Barb: cum multis aliis modò priùs contritionem eliceat nec ipse possit priùs absolutionem ab Excommunicatione commodè impetrare.

Q. An obligatur Parochus sub peccato gravi ad conciones diebus Festis & Dominicis habendas? *R.* Affir: cum Com: Patet ex Trid. sess. 5. saltem si diutiùs hoc Officium prætermitteret.

Q. Quid Parochus scire debet de obligatione residendi? *R.* 1. Quod non tantùm Ecclesiastico, sed etiam Divino jure teneatur personaliter residere colligitur ex Trid: 2. quòd singulîs annîs per tempus bimestre sive continuum, sivè interruptum à sua Ecclesia abesse possit modò id fiat ex justa causa, & absquè gregis detrimento.

Q. Quæ pœnæ Parocho non residenti sunt decretæ? *R.* Ex Trid: sess. 23. 1. Quod fructus Beneficii suos non faciat, ideo ante sententiam Judicis debeat eos Ecclesiæ, vel pauperibus restituere. 2. Quod si ultra 6. menses abfuerit ipso Jure privetur quartâ parte fructuum unius Anni. 3. Quod si post edictum peremptorium valvis Ecclesiæ affixum, terminumq; competentem ad redeundum præfixum, contumax fuerit, ipsâ etiam Parochiâ privari possit.

Q. An satisfacit suæ obligationi, si præsens quidem sit, in Parochia, sed omnia per suos Capellanos, seu Vicarios exerceat? *R.* Negant *Caj: Sot. Passer: Bar: &c.* Colligiturquè ex variis ipsius etiam *Juris Can: Capitulis* quia cum Pastor pro animabus sibi commissis rationem reddere teneatur,

atur, ipſemet etiam experiri debet, qualiter in via ſalutis inſtructæ ſint, atquè adèo aliquoties ſaltem per annum debet ipſis Sacramenta, & curam per ſeipſum miniſtrare maximè ſi ipſum nominatim petant Parochiani.

Q. Qui ſine animo Clericalis ſtatus percipit fructus Beneficii non curati, an tenetur illos reſtituere? *R.* Non. Quodſi ex curato percipit ſine animo ſuſcipiendi Sacerdotium tenetur reſtituere, niſi animum mutet intra annum. Nav:

De Poteſtate Parochi.

Q. Parochus nondum Sacerdos quæ per ſe exercere poteſt? *R.* Omnia ad Parochum ſpectantia, exceptis iiſque ad Ordinem ſpectantibus.

Q: Poteſtne Parochus eligere ſibi Confeſſarium non approbatum à ſuo Epiſcopo? *R.* Non. patet ex propos: 16 damnata ab Alex: VII. Proinde non poteſt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum & coram eo confiteri vigore privilegii (*in cap: ne pro dilat: Pæn:*) Prælatis ſive infimis, ſive ſupremis conceſſi. Officiū enim Parochi, non eſt prælatio aut dignitas ut docet Sanch: T. 2. Mor: Idem dicendum eſt, etſi ſit approbatus Confeſſarius, ſed in alia Diæceſi, ut patebit.

Q. Poteſtne Parochus tutè uti operâ Parochorum aliarum Diæceſum ad excipiendas Fidelium Confeſſiones in ſua Parochia? *R.* Neg: Nam S. Cong: conc. teſte Garz: & Armend. apud Reij. T. 1. c. 10. cenſuit quòd obtinens Parochiale Beneficium in una Diæceſi, non poſſit in alia Diæc. abſq; loci Ordinarii approbatione eligi in Confeſſarium etiam ab habentibus privilegium vigore Jubilæi, vel ab habentibus licentiam à Parocho. Poteſt autem Parochus in aliena Diæc. ſuorum ſubditorum audire Confeſſiones.

Q. Poteſtne Epiſcopus ſibi eligere Confeſſarium non ſubditum, & coram eo confiteri? *R.* extra ſuam Diæceſim non poteſt confiteri. neq; Regulari, qui non ſit ab Ordinario Loci approbatus, ſed tenetur eligere curatum ſeu approbatum. ita ex S. Cong: refert Nico: Sa. Fag: Sua: Bon: & 5. alii.

Q. Poteſtne Parochus privare ſepulturâ Eccleſiaſticâ eum qui decimas non ſolvit? *R.* Non quia tale jus competit judici in foro externo, ſeu ſuperiori S. Tho: Nav: &c.

Q. Parochus qui generalem obtinuit facultatem ab Epiſcopo abſolvendi ſibi ſubditos à caſibus reſervatis, ſi ipſemet in reſervatum incidat poteſtnè Confeſſario ſuo facultatem abſolvendi ſeipſum committere¿ *R.* Poteſt, ſi habet facultatem abſolvendi à reſervatis unà cum poteſtate ſubdelegandi. Ugol: Nald: &c.

Q. An Parochus poteſt concedere ſuis Parochianis licentiam laborandi in diebus feſtis ad tempus, & ex cauſa legitima quandò Epiſcopum facile adire nequeunt? *R.* Affir: *Suar*; *Azor*: *Fag*: *&c.*

Q. An Parochus habet poteſtatem ex juſta cauſa etiam præſente Epiſcopo, vel ejus Vicario diſpenſandi in lege jejunii? *R.* Affirmãt *Caj: Dur: Rich: Lea: &c.* Imo *Paſq: Sim:* docent etiam Parochorum Vicarios poſſe diſpenſare.

Q. An Parochus poteſt quoſcunquè Religioſos confitentes audire? *R.* Affir. Si peregre veniant, quia prudenter ſupponere poteſt talem Religioſum non petiturum Confeſſionem ſi facultatem non haberet à ſuo ſuperiore confitendi. Ad excipiendas Monialium Confeſſiones requiritur diſtincta & ſpecialis approbatio Epiſcopi.

q. An,

Q. An, si Religiosus casum reservatum habeat possit eum absolvere? *R.* Affir; si necessitas, aut gravis causa ad Confessionem urgeat, sed cum onere se sistendi suo superiori, ita multi D. *D.* apud Dian:

Q. Quæ illæ sunt res quas si Parochus benedicere velit facultatem ab Eppō habere debet? *R.* 1. Indumenta Sacerdotalia ad Sacrificium *Missæ* adhiberi solita. Mappæ seu linteamina altaris, Corporalia, Tabernaculum sive vascula pro sacra Eucharistia conservanda. Cruces novæ. Imagines Xti D. B. V. M. & aliorum Sanctorum. Lapis primarius pro ædificanda Ecclesia nova seu oratorium publicum, novum cæmeterium. 2. Insuper nullam rem benedicere potest, ubi unctio olei sacri intervenit Rit: Rom:

De requisitis ad obtinendum Beneficium.

Q. Quæ qualitates extrinsecæ requiruntur in Curato? *R.* 3. Ut sit legitimè vocatus, electus, vel præsentatus, & institutus.

Q. Quid est Electio? *R.* Est designatio alicujus Personæ capacis ad aliquod beneficium facta per suffragia.

Q. Quid est Collatio? *R.* Est concessio Beneficii ex solo jure, & libertate conferentis absquè præsentatione Patroni.

Q. Quid est Præsentatio? *R.* Est exhibitio Personæ beneficiandæ facta illi ad quem pertinet instituere,

Q. Quid est Institutio? *R.* Est attributio, sive concessio beneficii facta ex præsentatione Patroni.

Q. Quid est Provisio? *R.* Est quid genericum & significat dispositionem de Beneficio in favorem

rem alicujus. Hinc qui præsentavit aut contulit alicui Beneficium, dicitur illi providisse, & qui Beneficium accepit dicitur provisus de Beneficio.

Q. Quot modis Beneficia amittuntur? *R.* 4. 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione Juris: dum quis Religionem ingreditur, in eaq; Professionem faciat, vel propter alterius Beneficii incompossibilis consecutionem, vel per contractum Matrimonium, vel per commissionem criminis *vg.* hæresis &c. 3. Per sententiam judicis. 4. Per liberam resignationem.

Q. *Quot* modis acquiritur Beneficium? *R.* 1. Præsentatione. 2. Electione, 3. Libera collatione, 4. Concursu.

Q. Quid est Jus Patronatus? *R.* Est potestas præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Est autem 2plex scil: Ius Patronatûs *Ecclesiastici*, quod alicui competit, quia ex bonis Ecclesiasticis. Et Ius Patronatus *Laici*, quod alicui competit, quia ex bonis Patrimonialibus Ecclesiam fundavit, vel dotavit, vel erexit. Additur adhuc 3tium scil: *Mixtum* quod provenit Titulô partim Ecclesiasticô, partim Laicali. ac competit tum Patrono Ecclesiastico, tum Laico.

Q. Quomodo acquiritur Jus Patronatûs? *R.* 1. Ex communi Juris dispositione: Per fundationem Ecclesiæ, sive per concessionem fundi, in quo ædificatur. 2. Per liberam Ecclesiæ planè destructæ reædificationem, ita ut nova consecratione egeat. 3. Per donationem, sive per assignationem redituum sufficientium pro sustentandis Ministris, etiamsi Ecclesia jam fuerit antecedenter ædificata, & consecrata *Lot: Leur:*

Q. Quot modis Ius Patronatûs potest ab uno ad al-

ad alterum transire? *R.* 1. Succesione per hæreditatem vel Testamentum. 2. Donatione. 3. Permutatione. 4. Venditione. Non solius Iuris Patronatûs, quia esset Simonia, sed *vg.* cum Bonis &c. ut Castro &c.

Q. Quis est capax Iuris Patronatûs? R. Clerici, Laici tam Masculi, quam Fæminæ. Infidelis autem est incapax, etsi ædificet Ecclesiam.

Q. Quomodo Ius Patronatûs cessat? R. 1. Per remissionem hujus Juris. 2. Extinctâ familiâ, cui erat affixum. 3. Si Ecclesia penitùs destruatur sine spe reædificationis. 4. Per sententiam, in pœnam delicti. 5. Per præscriptionem. 6. Per occisionem, vel mutilationem Clerici Ecclesiæ Patronatæ. 7. Si Patronus consentiat, ut Beneficium uniatur Monasterio. 8. Per Simoniam in cessione ejus commissam, 9. Si Patronus se ingerat in perceptionem fructuum, aut usurpet bona Beneficii. 10 Si ingratus sit Ecclesiæ *Leur:* &c.

Q. Quot Jura Patrono sive Ecclesiastico. sive Laico, competunt in Beneficio Ecclesiastico, respectu cujus habet jus *Patronatûs*? *R.* 4. scil: Ius præsentandi, præcedendi, defendendi Ecclesiam. atquè ut ex bonis Ecclesiæ eidem indigenti succurratur. c. *Nobis.*

Q. An Patronus seipsum præsentare potest? *R.* Neg: quamvis sit Clericus idoneus, quia præsentatio sui ipsius sapit vitium ambitionis.

Q. Si Prælatus ad quem spectat Institutio motu proprio vocet Clericum Patronum, eiq; conferat Beneficium vacans in quo dictus Clericus habet jus Patronatûs, an valebit collatio? *R.* Affir: quia tunc Patronus non censetur præsentare se ipsum, sed Beneficium sibi oblatum acceptare.

cepta-

ceptare, ac in collationem sibi factam consentire.

Q. Quando Patronus tenetur præsentare? R. Patronus Ecclesiasticus intra 6. menses, à vacatione beneficii. Laicus intra 4. Menses. Quodsi intra hoc spatium non præsentant, tunc jus devolvitur ad eum: qui habet potestatem instituendi, & pro libitu suo in pænam non præsentantium instituere tunc poterit, quemcunque voluerit.

Q.* Præsentatio facta antequam vacet Beneficium, an valida? R. Neg: Hinc *Lott*, putat mortaliter peccare *Patronum*, si juret se præsentaturū Cajum, quando beneficium vacabit, quia Ecclesia graviter prohibuit, ne detur occasio alienæ mortis captandæ.

Q. Qualis debet esse collatio Beneficii? R. Pura, certa, facta in perpetuum, sine diminutione, gratis & liberè.

Q. Collatio Beneficii Curati ante an: 25. inchoatum an valida est? R. Nulla absolutè est Trid: ses: 24.

Q. An amittitur Beneficii possessio per renuntiationem? R. Non, nisi postquam fuerit per superiorem admissa. Sa. &c.

Q. An Beneficiatus sui Beneficij fructus anticipata solutione locare potest? R. Potest ad annum, si ultra annū locaret sine consensu Officii, cōtractus ipso jure esset invalidus, & irritus, & incurreret Excomm: nulli tamen reservatam.

De Beneficio.

Q. Quid est Beneficium? R. Est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter Officium aliquod Spirituale Authoritate Ecclesiæ constitutum.

q. quid

Q. Quot ſunt ſpecies Beneficiorum ? *R.* 1. Beneficia alia ſunt *Majora* ut Papatus Epiſcopatus &c. Alia *Minora* quæ dictis inferiora ſunt.

2*do*. Alia ſunt *Curata* quæ habent annexam animarum Curam, citra ullam aliam jurisdictionem externam. Alia non *curata*, quibus nulla cura eſt annexa.

3*tio* Alia ſunt *duplicia* quæ curam animarum, & aliam dignitatem adjunctam habent. Aliud *Simplex*, quod idem eſt, quod non curatum.

4*to*. *Regulare* quod regitur per Religioſos. vel ex fundatione, vel Epiſcopi inſtitutione vel Annorum 40. cum bona fide, & Titulo præſcriptione. Et *Sæculare* quod regitur à Clericis ſæcularibus, qui nullam profitentur Regulam, ſed in ſæculo militant, ac ſerviunt DEO.

5*to*. Aliud *Titulare*, quod in Titulare confertur. Et *Manuale* quod ad nutum alterius auferri poteſt. Aliud *Patrimoniale* aliud non *Patrimoniale &c.*

Q. Quot ſunt ſpecies Beneficiorum ſimplicium? *R.* Plures: Præſtimonium, Canonicatus Capellania &c.

Q. Quid eſt Præſtimonium ? *R.* Eſt beneficium inſtitutum pro Clericis, ut ſtudiis vacent, habetq; ſæpe adjunctũ onus orandi aliquas preces.

Q. Quid eſt Canonicatus ? R. Eſt Ius ſpirituale per quod aliquis ſpectans ad Capitulum, ſtallum habet in Choro, & vocem in Capitulo.

Q. Quid eſt Commenda ? *R.* Eſt officium in quo alicui commendatur adminiſtratio aliqua ſpiritualis *vg.* adminiſtrandi Sacramenta.

Q. Quid eſt Coadjutoria ? *R.* Eſt facultas alicui conceſſa adjuvandi Beneficiatum in ſui benefi-

neficii regimine, ideoque per se, non est proprie Beneficium poteſtq; dari ad tempus, vel ad vitam Coadjuti, idque sine, vel cum futura successione, tam in simplicibus, quam curatis beneficiis.

Q. Quomodo proventus Beneficii dispensandi sunt? *R.* Proventus cedere debent, in honestam sustentationem Beneficiati. Superflua verò debent cedere in fabricam Ecclesiæ, in subsidium Pauperum, & in alios pios usus. Unde peccant graviter, qui in profanos usus fructus Beneficii convertunt. Com. DD.

Q. *Quæ* possunt apponi conditiones resignationi? *R.* 1. Ut beneficium conferatur alicui designato, & hæc dicitur in favorem. 2. Ut resignatarius vicissim ipsi permittat suum beneficium: Et hæc dicitur permutatio. 3. Ut sibi reserventur omnes, vel aliqui fructus: Et dicitur sub pensione. 4. Ut regredi, vel ingredi possit ad beneficiũ vg. si resignatarius præmoriatur, ingredi autem vg. si alicui collatũ sit beneficium, & hic ante captã possessionẽ cedat alteri sub pacto, ut post absoluta studia illud recipere possit, Et dicitur resignatio cum regressu, & accessu.

Q. Quis debet permutationes admittere? *R.* Superior aliquis uti Episcopus &c. Unde si Authoritate propria fiat, erit Simonia juris humani.

Q. Coram quo potest fieri resignatio? *R.* Coram Officio & Judice Ecclesiastico, non potest fieri coram Laico, etiamsi sit Patronus Beneficii. Laicus tamen vg. Notarius potest recipere consensum, sed non authoritate *Nau.* &c.

Q. Præsentatio vel Collatio Beneficii facta Excommunicato estne valida? *R.* Communis senten-

ſententia docet eſſe invalidam, quamvis ſit Excommunicatus telleratus. Unde tenetur petere abſolutionem ab Excommunicatione, & eâ obtentâ, curare ut Beneficium ſibi denuo conferatur ab eo, ad quem pertinet illius Beneficii collatio: *Bon:* &c.

Q. Ignorans ſe eſſe Excommunicatum recipe-retne valide Beneficium? *R.* Negative Comm: DD. apud Bon: Quia quamvis ignorantia invincibilis excuſet à nova culpa, & à nova cenſura, non tamen facit actum validum qui aliàs erat invalidus, nam quod eſt invalidum à principio, tractu temporis non convaleſcit.

Q. An Excommunicatus occultus tenetur ſe manifeſtare, ne Beneficium accipiat? *R.* Si poteſt ſine ſcandalo & gravi ſua infamia tenetur, ſin ſecùs Eccleſia non obligat cum tanto incommodo. Debet autem, ſi poteſt honeſtô titulô ſe excuſare, & non acceptare Beneficium, at ſi illud acceptavit debet, quamprimùm petere abſolutionem à Sac: Pænitentiaria. *Bon: Dian:* &c.

Q. Petrus tempore collationis Beneficii non erat excommunicatus, ſed craſtina die tempore acceptionis ſeu inſtitutionis incidit in Excommunicationem, acceptatne validè tale Beneficium? *R.* Affirmat *Bon:* quia jura ſolùm irritant collationem, & electionem beneficii, non verò acceptationem, nam cùm verſemur in materia odioſa, extendi non debet ad caſus non expreſſos in jure.

Q. Qui recipit Beneficium per Simoniam vel exiſtens excommunicatus, aut irregularis, teneturnè perſolvere Horas Canon: ? *R.* Licet non tenetur recitare ratione Beneficii, quia non ha-

bet

bet titulum verum beneficii, nec facit fructus suos, prout resolutum est à *Salmatic: teste San.* tenebitur nihilominus ratione Ordinis, si quem habet.

Q. Irregularitas redditnè hominem inhabilem ad Beneficium, & ad fructus percipiendos? *R.* Affirmativè Nav: Sa: Bon: &c. Imo supposito quòd si in irregularitate Beneficium acceperit, etiam post obtentam dispensationem ab irregularitate, non potest illud retinere sine nova Collatione.

Q. Ultimo. Quibus negari debet Ecclesiastica sepultura? *R.* Paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, Hæreticis & eorum fautoribus. Apostatis à fide, Schismaticis, & publicis Excommunicatis majori Excommunicatione. Interdictis nominatim, & iis qui sunt in loco interdicto, eo durante. Morientibus in duello, etiamsi ante mortem dederint signa pænitentiæ.

Se ipsos occidentibus (non tamen si id ex insania accidat) nisi ante mortem dederint signa pænitentiæ. Manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pænitentia perierunt. Iis, de quibus publicè constat, quod semel in Año non susceperint Sacramenta Confes: & Commu: in Pascha. & absq; signo contritionis obierunt. Infantibus mortuis absq; Baptismo, ubi verò in prædictis casibus dubium occurrerit Episcopus consulatur *Rit. Rom.*

Decreta Sæ Rit. Congr. scitu necessaria.

Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SSum̃ celebrare Missam Feria V. Cænæ Domini, nec ejusdem SSm̃i asservatio in Sepulchro Aõ 1659. 24. Jun:

In benedicendo Populum cum SSmo, Sacerdos

dos debet perficere Circulum redeundo ad Altare ex parte manus dexteræ Aõ. 1676. 21 Mar:

Modus benedicendi alios vel rem aliquam debet esse cum manu recta & digitis simul junctis & extensis. Aõ. 1683. 14. Ju;

Sacerdotes non debent deferre strophium super Calicem tam in eundo quam redeundo ab altari, neq; debent illud collocare super Altare sed appendere subter catulam. Aõ 1703. 1. 7bris.

Super Altare in quo SSmum Sacramentum est expositum crux de more ad partem collocari debet. Aõ. 1707. 14. Maij.

Cruces Altarium vel processionum non sunt benedicendæ de præcepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim & non solenniter Aõ 1704. 12 Jul:

Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missa veluti 3tia à *Cunctis* si 2da esset de festo simplici ut ejus loco dicatur Oratio veluti, *DEUS refugium* sed post 3tiam Orationem à *Cunctis* potest & imperata dici cùm in Missis de semiduplici vel simplici vel Votiva non sint necessario dicendæ Collectæ impares puta 3. 5. vel 7. Aõ. 1709. 17. Aug:

Cruces quæ fiunt à Sacerdote super oblata in Missa & in aliis casibus, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta. Aõ. 1665. 4. Aug: hoc est ut explicat. *Castel:* Sacerdos sicut manu recta & in longum extensa formavit primam lineam super calicem, ita eôdem modô extensâ in rectum manu, nullatenus incurvatâ, per medium prioris lineæ (quasi eam secando per medium) debet alteram lineam formare ut crux constet quasi ex duabus lineis rectis.

Dum

Dum in aliqua Ecclesia præter Missam Conventualem (quæ cantatur de Officio currenti) cantantur Missæ Votivæ ex fundatione, in his Votivis, jam non debet sumi commemoratio Officii seu festi currentis juxta Decr. S. R. C. Aō 1736. 38. Jul: sed orationes seu collectæ duæ assumantur ad complendum numerum ternarium prout fit in Missa de Festo semidupl: (dum nulla alia Commemoratio in officio occurrit) juxta diversitatem temporum. *vg.* 2dā Oratio A *Cunct's* 3tia *Ad Libitum*. Vel 2da Or: de B. 3tia Eccl: vel pro Papa.

Omni die Dominica quæ non habet præfationem propriam, etsi incidat in eam festum 1. vel 2. Classis si tamen hoc festum non habet propriam præfationem, ea cani debet de SSma Trinitate. A. 1759. 3. Janu:

Quando SSmum expositum est, omnes ante illud transeuntes cujuscunq; conditionis & Ordinis sint, sivè ad illud accedentes, sivè ab eodem recedentes, semper utroq; genu flectere debent. Aō. 1651. 19. Aug:

In Festo SSmi Corporis Christi Eucharistia non est deferenda per plateas Hæbreorum. Aō. 1593. 22. Februarij.

Non sunt inserendi alii Sancti in Lytaniis OO. SS. præter ibi scriptos neq; tempore pestis addendi sunt Tutelares & Civitatis Patroni sine speciali concessione. Aō. 1631. 22. Mar:

Translatô Festô in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. Aō 1690. 10. Junij.

Simplices Sacerdotes non approbati ad audiendas Confessiones, sciant sibi non licere, neq; à venia-

-nialibus absolvere. Aõ 1619 12: Febr:

Celebrantes Octavam SS. Trinitatis & SSmi Corporis Christi debent præferre Octavam Corporis Xti ut potè magis privilegiatam Octavæ SS. Trinitatis. Quapropter feria VI. & Sabatho infra Octavam Corporis Xti in tali concurrentia prædictarum Octavarum fieri debet Officium de Octava Corporis Christi, cum commemoratione. SS. Trinitatis, & si occurrat Festum dupl. in prædictis feriis, commemoratio Corporis Christi præcedere debet commemorationem SS. Trinitatis & Præfatio dicenda est de Nativitate. Constat id ex Decretis S. R. C. quæ traduntur in nostro Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Breviarii. Hæc P. *Merati* P. 6. T. 12. Nrõ 33.

Quando exponitur SSmum in Altari pro initio 40. Horarum cantari debet missa Votiva de Sacramento, non autem festiva Corporis Christi, nisi infra Oct. ejusdem Festi casus accideret & dicitur una tantùm Oratio cum Gloria & Credo & Præfatio de Nativitate Dñi. Si verò accidat in festo 1. vel 2. Classis sive in Dominica Privileg. tunc in Collegiatis vel duæ cantantur Missæ, una de festo seu Dominica post Tertiam. Altera Votiva post Nonam, vel una cantatur de die cum Commemoratione SSmi. Aõ 1666. 17. Februarii.

Dum Missa cantatur coram SSmo in Altari exposito, debet fieri Commemoratio de SSmo post omnes alias commemorationes de præcepto, & in Missis solemnibus Festorum 1mæ & 2dæ Classis facienda est sub una cõclusione. Aõ. 1736. 23. Junij.

Coram SSmo in Altari exposito Concio debet fieri capite detecto Aõ. 1630. 16 Febr. Intellige si SSmum non est obvelatum. Quan-

Quando Antyphonæ & Versus in Vesperis variandi sunt pro commemoratione alicujus simplicis (vel Octavæ) facienda tunc ad Vesperas (supple post orationem Officii) *imo* accipienda est Antyphona cum versu Laudum. Si verò plures sint commemorationes simplicium *ejusdem qualitatis vg. Confessorum Martyrum &c.*) tunc *2do.* commemoratio sumetur ex secundis Vesp. cum versu 2di Noctur. 3*tia* verò commemoratio fiet desumendo Antyphonam 1mam èx Noctr. cum versu ejusdem Nocturni *Ad Laudes* post Orationem Officii 1ma commemoratio cum versu erit propria ex 1mis Vesperis. 2*da* commemoratio fiat cum Antyphona 3tii Noctr, cum versu ejusdem Noctr: 3*tia* autem commemoratio fiet desumendo Antyphonam ex Vesperis 2dis & versu 2di Noctr: Aõ. 1736. 5. Maij.

In depositione Defunctorum in verbis illis *Non intres in judicium cum servo tuo &c.* quando est mulier aut plures sunt defuncti non possunt verba *Servo tuo* immutari in *serva tua* vel *servis tuis* absq; sacræ Rubricæ læsione & servandum est Ritual: Rom: Ani. 1697. 31. Aug:

Non permittatur ad Altare Majus celebratio Missæ, dum dicitur in Choro Matutinum vel aliæ horæ Can: S. R. C. Aõ .1664. 15.Septem:

Missæ, certis religiosis concessæ non possunt ab aliis dici etiam in ipsorum regularium Ecclesiis A. 1670. 9. Aug:

Infra octavam Corp; Xti prohibentur Votivæ quæcunq: vel pro defunctis A: 1670. 21. Julij approbante Clem: X.

Quædam notanda scitu necessaria.

Ante versiculum qui dicitur Communio in Mis-

Missa cooperiendus est calix velo in anteriori parte (ut calix non appareat) sicut in principio Missæ S. R. C. Aõ. 1698. 1. Mar: Pariter dum defertur à Sacerdote ante Missam ad Altare & post Missam velum Calicis debet pendere, non involvi super Bursam. Ita Rubr: Missal.

Ablutio digitorum in Missa post Communionem debet in Vino & aqua fieri, non in solo tantùm Vino. Gav. Mer:

Infra Octavã Corporis Xti Sequentia seu Prosa *Ecce Panis Angelorum &c.* tantùm tunc canitur, quando Missa est de Festo Corporis Xti. Hinc in Dominica & Festis Dupl. tunc occurrentibus cani non debet.

In Missis privatis (non verò in Solemnibus) in Dominica Palmarum & aliis diebus sequentibus dum legitur Passio in Missa non debet Sacerdos tenere Palmam seu arudinem in manu, quia hujus nullum fundamentum habetur tum in Rubricis Missalis vel Rituali.

A Dominica Palmarum tota Hebdomada majori & triduo Paschatis non potest etiam præsente corpore cantari vel unica Missa de Requiem, sed cantatô Officio Defunct: ac conductu Missa etiam cantata fiat de die seu Officiô currente cum applicatione pro anima Defuncti, Ita Merati Par. 1. de Miss.

Dum dicitur Votiva infra aliquam Octavam vg. Ascensionis Domini habentem Præfationem propriam & Communicantes debet in ea dici & Præfatio hujus Octavæ & Communicantes, si autem Votiva illa habeat Præfationem propriam ut vg. de Beata vel de Cruce &c. tunc propria Votivæ Præfatio dicitur, sed Communicantes ut infra Octavam currentem.

Occurrente Dedicatione propriæ Ecclesiæ & Cathed: eadem die præferenda est Dedicatio propriæ Ecclesiæ, & Cathedralis transferenda est in diem proximam non impeditam Festo 9. Lect: *Gav:*

In Officio Defunct: duplicari debent Antyph: scilicet in Commemor: OO. Fidel: in die Obitûs seu Depositionis Defuncti in die 3. 7. & 30. ac Anniversario vero, Caj: Sect: 11. Extra hos casus etiamsi ex fundatione contingat decantari præfatum Officium Defunct. 3um Noctr: quod certè in quibusdam Ecclesiis contingit quolibet mense, aut quartuali, non debent duplicari Antyph: sed sub Ritu semidupl: hocce Officium peragi. Inhærendo declarationi S. R. C. quâ vetatur ne sæcularibus Patenæ ad osculandum porrigantur Synodaliter in omnibus & singulis tam sæcularium quàm Regularium Ecclesiis hunc abusum tollere cupientes sub pænis Nobis & Officialibus Nostris reservatis mandamus ne cuipiam alteri præterquam in Ecclesiastica vel Senatoria dignitate constitutis vel alio speciali fulgentibus honore Ecclesiarumquè Patronis imposterum ad ipsum altare, non perambulando Ecclesiam, Patena detur reverenter osculanda. Ex Synod. Provi: Petric: Aõ 1628.

Dum defertur Crux à Subdiacono vel Clerico in Processionibus vel aliis Officiis, semper imago debet terga vertere Clero, quasi, Christus præire videatur, nisi sit Crux Archi-Episcopalis in qua imago Crucifixi respicere debet Archi-Episcopum. *Baudry.*

In Officio Defunctorum dicitur Invitatorium *Regem cui omnia &c*, in die Commemor: OO. Fideli-

delium Defunct: Item in die obitus seu depositionis defuncti. Item in die 3. 7. & 30. & in Anniversario vero Defuncti. Et quandocunque dicuntur 3. Nocturni, aliàs nunquam dici debet *Rubr. Brev:*

Omnia cedat Ad M. D. Gloriam.

INDEX. MATERIARUM.

A.

B.

C.

Exa-

In-

Pre-

Ti-

INDEX.

RegI Deo sIt honor gLorIa aC
gratIarUM aCtIo
Beato StanIsLao MartIrI & CantIo
DeCor & æterna VeneratIo.


EXAMEN
ORDINAN
DORUM